De periodorum structura apud dactylicos Romanos veteres.

Dissertatio inauguralis

quam amplissimi

philosophorum Vratislaviensium ordinis

consensu et auctoritate

ad summos in philosophia honores

rite impetrandos scripsit

Paul Slossarczyk

Silesius.

Die XIV mensis Octobris a. MCMVIII hora XI et dimidia

disseret doctorandus in Aula Minore

„De Vergilio Arati interprete“

deinde erit promotio.

Plessis

Ex officina A. Lokay.

MCMVIII.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
Franciscus Skutsch.

Examen rigorosum habitum est die XIII mensis Mai a. MCMVIII.

Parentibus optimis

S.

De periodorum structura apud dactylicos Romanos veteres.

In tanta librorum atque scriptorum omnis generis de lingua Latina copia fere nihil prolatum inveni de periodorum structura apud dactylicos veteres. De hac enim grammaticae parte duae tantum commentationes scriptae sunt, in quarum altera [1]) nihil aliud nisi osteologia periodorum Catulli, in altera [2]) autem periodorum structura in Vergilii Aeneide diligentius exposita invenitur. Nonnulla etiam in variis virorum doctorum scriptis dispersa reperiuntur. [3]) Qua re nobis proposuimus exquirere quam rationem poetae dactylici veteres in periodis struendis inierint. Atque rem ordientes ab annalibus Ennii ordine pertractavimus Lucilii saturarum fragmenta, quae quidem versibus hexametris conscripta sunt, Lucretii libros sex, Catulli carmen LXIV, Cirin Galli, Georgica et Aeneidem Vergilii.[4])

Sed priusquam rem ipsam aggrediamur, leges constituantur necesse est ad quas singularum periodorum structura referri possit.

Apud omnes scriptores consuetudo est ut eae sententiae, quibus id quod aut tempore aut re prius est, exprimitur, locum quoque priorem obtineant. Qua de re enuntiato primario postponi solent enuntiata relativa interrogativa finalia consecutiva

---

1) Aem. Clemens, De Catulli periodis, Guelferbyti 1885.

2) E. Weissenborn, Der Satz- und Periodenbau in Vergils Aeneide, Progr. Mühlhausen 1879.

3) Haec fere congesta invenies a Friderico Leone libri de versu Saturnio p. 14.

4) Utor autem editionibus his: Ennii Vahleniana secunda, Lucilii Marxiana, Lucretii Briegeriana. Ceterum me meum iudicium interdum praeposuisse sententiae editorum vix opus est admonere; Cichorii librum egregium „Untersuchungen zu Lucilius“, dum libellus meus imprimitur, quatenus potui, adhibui.

temporalia, quae quidem introducuntur particulis *dum, donec, priusquam.* Contrarium autem ordinem sequuntur et reliqua genera enuntiatorum temporalium et enuntiata causalia comparativa concessiva condicionalia. Enuntiata secundaria qnam artissime se alligare solent ad eam rem, cui explicandae vel accuratius denotandae inserviunt. Haec quidem comprobantur ratione quam varii scriptores, imprimis Cicero in periodis struendis inierunt. Scilicet scriptores haec praecepta non semper tam stricte observavisse ut non interdum ab eis variis de causis recederent.

I.

Quibus praemissis ad ipsum aggrediamur propositum inquisituri qua ratione Ennius in annalibus periodos struxerit.

1. Atque hac in re initium faciemus a periodis relativis, quae quidem omnium simplicissimae sunt et apud quemvis scriptorem saepissime occurrunt. Tria secernenda sunt relativi genera, relativum proprium, relativum generale, relativum indefinitum. Relativum proprium est id quod ad rem antecedentem respicit, id est quod proprietatibus condicionibus actionibus, quae ad rem pertinent, denotandis inservit. Hoc quidem relativum ad nomen suum se adiungere solet eamque ob rem plerumque interpositum est enuntiato primario ut v 202: *quo vobis mentes, rectae quae stare solebant antehac, dementes sese flexere viai?* cf. v 218. v 374. Sin autem nomen ad quod relativum pertinet in fine enuntiati primarii collocatum est, enuntiatum relativum necesse est enuntiato primario postpositum esse; v 148: *et densis aquila pennis obnixa volabat vento quem perhibent Graium genus aera lingua.* v 379 etc. Licet observare Ennium in periodis relativis componendis id studuisse, ut nomen substantivum a quo relativum pendet in fine enuntiati primarii poneret et totam sententiam versui accommodaret. Sed cetera quoque periodorum genera apud omnes quos tractavimus poetas rarius aut saepius ita sunt structa, ut singulae sententiae per singulos extendantur versus, quod quidem cognosces ex signo (s = v) talibus locis apposito.

Enuntiatum relativum quod est pro parte subiecta vel obiecta vel pro adverbio in exordio periodi collocari solet. Huc pertinent fere omnia enuntiata relativa quae vocantur generalia et indefinita; v 192: *qui antehac invicti fuere viri, . . . hos ego in pugna vici victusque sum ab isdem.* cf. v 199.

Haec enuntiata autem sequuntur enuntiatum primarium, si periodus a verbo initium capit ut v 377: *nos sumus Romani, qui*

fuimus ante Rudini, aut si haec enuntiata sensum in commune vertunt ut v 280: *hostem qui feriet mihi erit Carthaginiensis, quisquis erit.*

Haec sunt enuntiata relativa in annalium reliquiis quae integrum praebent sensum.

2. Itaque transeamus ad enuntiata temporalia, quae apud omnes fere poetas numero proxime accedunt ad enuntiata relativa. In Ennii annalibus numerus enuntiatorum temporalium quibus integer subest sensus, parvus est. Neque enim plus quam septem exempla reperiuntur quae ad quattuor genera diversa pertinent.

Atque enuntiatum temporale inchoatum a particula *postquam* indicat rem minoris momenti praeterlapsam esse et insequi rem maioris momenti hoc solo loco: v 153 *postquam defessi sunt stare et spargere sese hastis, ansatis concurrunt undique telis.* Altero loco tale enuntiatum temporale, quod quidem notitiam temporis diu praeteriti aperit, postpositum est enuntiato primario; v 501: *septingenti sunt paulo plus aut minus anni, | augusto augurio postquam inclita condita Roma est* (s = v). Similia exempla etiam apud nonnullos posterorum poetarum inveniuntur.

Enuntiatum temporale quod introducitur per particulam *cum* in initio periodi collocatur, si idem tempus significat atque id quod est in enuntiato primario. Huc spectat hoc exemplum: v 519 *cumque caput caderet, carmen tuba sola peregit.*

Hoc enuntiatum temporale postponitur primario aut si naturam relativam imbuit ut v 391: *nunc est ille dies cum gloria maxima sese nobis ostendat* etc., aut si additum est enuntiato comparativo ut v 443: *concurrunt veluti venti cum spiritus austri . . . cum flamine contra indu mari magno fluctus extollere certant.*

Enuntiatum temporale inchoatum a particula *dum*, quod significat rem prioris temporis durare cum res altera incidat, in initio periodi collocatum est v 256: *dum censent terrere minis hortantur ibei sos.* Tale enuntiatum insertum est primario, quoniam instar enuntiati relativi aliquid attribuit ad id quod antecedit v 364: *missaque per pectus dum transit striderat hasta.*

Denique posterius tempus significat particula *priusquam* hoc solo loco: v 218 *nec quisquam sophiam . . . in somnis vidit, priusquam sam discere coepit.*

Nulla in annalibus inveniuntur vestigia enuntiatorum quae inducuntur particulis *ubi*, *ut (primum)*, *simulac* ita ut dubitare possis utrum Ennius talia enuntiata temporalia iam usurpaverit necne.

3. Iam cum ne ullum quidem in annalibus exstet enuntiatum causale, proponenda sunt enuntiata finalia quae vocantur. Huc pertinent quattuor exempla eaque ita structa ut enuntiatum pri-

marium antecedat, secundarium autem subsequatur; v 171: *cogebant hostes lacrimantes ut misererent.* cf. v 53. v 312. v 381.

4. Quod pertinet ad enuntiata condicionalia, in annalium fragmentis quattuor tantum exempla integra inveniuntur. Atque secundum ordinem consuetum enuntiatum condicionale antecedit enuntiato primario hoc loco: v 335 *o Tite, siquid ego adiuero curamve levasso, . . . ecquid erit praemi?* cf. v 549. Duobus autem locis enuntiatum condicionale periodum ad finem perducit, quia ad unum pertinet verbum; v 429: *spero, si speres quicquam prodesse potis sunt*; v 493 *qui vincit non est victor, nisi victus fatetur.*

5. Sequuntur duae periodi concessivae, in quarum altera, quae quidem praebet sensum negantem, enuntiatum secundarium in fine primarii locum habet: v 47: *haec effatus pater . . . repente recessit nec sese dedit in conspectum . . ., quamquam multa manus ad caeli caerula templa tendebam lacrumans* etc., in altera autem, cui sensus affirmativus subest, enuntiatum concessivum interpositum est enuntiato primario, sed ita ut summae rei antecedat; v 547: *at Romanus homo, tamenetsi res bene gesta est, corde suo trepidat.*

Denique enuntiata consecutiva in annalium reliquiis nulla reperiuntur.

Hae sunt omnes periodi simplices quae exstant in Ennii annalibus. Atque quod ad earum structuram attinet, in universum dici potest Ennium in hac re eundem secutum esse ordinem atque posteros poetas.

Iam priusquam transeamus ad periodos compositas paucis exponendum est quibus signis ad singula enuntiata denotanda usi simus. Significavimus enuntiata primaria litteris maiusculis A; B; C etc.; enuntiata secundaria variis notis contractis ita quidem, ut signo **rel.** indicetur enuntiatum relativum, **tp.** enuntiatum tnmporale, **csl.** enuntiatum causale, **cd.** enuntiatum condicionale, **fin.** enuntiatum finale, **css.** enuntiatum concessivum, **csct.** enuntiatum consecutivum, **int.** enuntiatum interrogativum, **cp.** enuntiatum comparativum, **correl.** enuntiatum correlativum, **dist.** enuntiatum distributivum [sive-sive], **obi.** enuntiatum obiectivum [quod].

Enuntiata aliis enuntiatis interposita cognosces uncis curvatis ( ), angulatis [ ] autem longiores ambitus qui per parenthesin interpositi sunt. Signo [π] indicantur singula enuntiata primaria et singula verba per parenthesin adiecta. Ac siquae enuntiata aucta sunt aut participio aut infinitivo aut vocativo, eis adiunximus litteram p aut i aut v. Nota **excl.** significat exclamationem, **app.** appositionem. Denique si in una eademque periodo complura exstant enuntiata eiusdem generis, hoc quidem indicatur numeris appositis 1. 2. 3 etc.

Iam ut pergamus disserere de periodorum structura apud Ennium, proponimus quinque periodos compositas.

Atque duo enuntiata secundaria primi ordinis exhibent hae periodi: v 280 *hostem qui feriet mihi erit Carthaginiensis, quisquis erit.* rel_1 : A; v. 218: *nec quisquam sophiam, sapientia quae*

$\overline{\text{rel}_2}$

perhibetur, in somnis vidit, priusquam sam discere coepit. A (rel) A.

$\overline{\text{tp}}$

Duae periodi etiam singula enuntiata secundi ordinis continent; v 343 — 345: *aspectabat virtutem legionis suai expectans si mussaret, quae denique causa pugnandi fieret aut duri finis laboris.* A p. Cui accedit haec periodi forma: A v 381 — 383.

$\overline{\text{int}_1}$ $\overline{\text{fin}}$

$\overline{\text{int}_2}$ $\overline{\text{rel}}$

Denique unam tantum proponere possumus periodum, quae complura enuntiata secundaria primi et secundi ordinis exhibet: v 84 — 88 *expectant, veluti consul cum mittere signum volt, omnes avidi spectant ad carceris oras, quam mox emittat pictis e faucibus currus, sic expectabat populus atque ore timebat rebus, utri magni victoria sit data regni.* Quem verborum ambitum denotavimus hoc schemate: A_1 ; cp (tp) cp : A_2 *atque* A_3.

$\overline{\text{int}_1}$ $\overline{\text{int}_2}$

Hae sunt periodi omnes quae in Ennii annalium reliquiis reperiuntur. Atque hic numerus parvus est, quoniam pauci exstant loci qui integram praebent constructionem, ut certis periodorum generibus attribui possint. Alia causa autem haec est, quod poeta largiter coordinationem enuntiatorum usurpavit. Exempli causa affero hos locos: v 35—46. v 89—96. v 110—114. v 187 — 191. v 268 — 272. v 401 —404; in quorum uno (v 187 — 191) octo enuntiata primaria uno tenore aliud ad aliud apposita sunt. Ac si illos locos perlegeris non te fugiet poetam inprimis in oratione gravi atque commota et in describendis rebus, quarum altera alteram subsequitur, genere dissoluto inprimis asyndeto usum esse. Eadem ratione infra videbimus ceteros quoque poetas parataxin usurpasse, quamvis negari non possit singulos scriptores in hac re aliquantum inter se differre.

Atque haec hactenus de Ennii periodis.

II.

Cum Lucilii saturarum reliquias perscrutamur, quae quidem versibus hexametris conscripta sunt, nos non fugit in eis perpaucas inveniri integras periodos compositas. Cuius rei altera

causa videtur esse ea, quod scriptores posterioris aetatis e Lucilii saturis hos inprimis locos memoriae tradiderunt, ex quibus insolitum poetae dicendi genus cognosci posset; altera autem, quod poeta prudens et sciens venustatem et subtilitatem dicendi evitavit et plerumque sermone cotidiano usus est, qui quidem a periodis artificiosis abhorret. Sed ne simplices quidem periodi multae reperiuntur propterea, quod maxima pars locorum, qui enuntiata inter se subordinata exhibent, corrupta aut deleta est.

Quibus praemissis in medias res intremus et videamus quales periodos Lucilius struxerit.

1. Atque ut ab enuntiatis relativis exordiamur primum afferemus periodos in quibus enuntiatum secundarium aliquod attribuitur ad nomen ex quo pendet et eapropter toti sententiae insertum est, v 345: *nemo qui culpat Homerum, perpetuo culpat.* cf. v 359. v 379.

Enuntiatum relativum postpositum est enuntiato primario in hoc exemplo: v 151 *cum Pacideiano componitur, optimus multo post homines natos gladiator qui fuit unus.* Animadvertas pronomen *qui* procul stare ab initio enuntiati relativi. Accedunt hi loci v 228. v 339. v 481. v 561. v 564. v 1251.

Relativa indefinita et generalia, quae sunt pro parte subiecta vel obiecta vel pro adverbio, exordium facere solent periodi ut v 51: *porro quacumque it, cuicumque, ut diximus ante, obstiterit primo, hoc minuendae [intus] refert re[s].* v 171: *qui edit se, hic comedit me.* cf. v 69. v 102. v 324. v 506.

Denique enuntiatum relativum finem facit periodi, quod totam sententiam in commune vertit hoc loco: v 120 *conturbare animam potis est, quicumque adoritur.*

Haec sunt omnia enuntiata relativa quae integrum praebent sensum. Neque inde cognosci potest Lucilium in eis adhibendis a ratione ceterorum poetarum recessisse.

2. Itaque transeamus ad enuntiata temporalia quorum numerus perparvus est. Nulla invenimus enuntiata quae incipiunt a particulis *postquam, ut (primum), simulac, antequam, priusquam, donec.* Periodus incipitur ab enuntiato temporali quod inchoatur a particula *ubi* hoc loco: v 279 *hanc ubi vult male habere, ulcisci pro scelere eius, testam sumit homo Samiam sibi* etc. cf. v 18. In altera periodo enuntiatum secundarium in fine periodi locum obtinet quia explicat id quod antecedit. v 238 *'thaumaeno' inquit balba, 'sororem lanificam dici,' siccam atque abstemiam ubi audit.* Alio autem loco tali enuntiato secundario vis condicionalis videtur subesse; v 1074: *scio enim bene longincum mortalibus morbum in vino esse, ubi qui* (= si quis) *invitavit dapsilius se.* Similia exempla apud Lucretium quoque interdum occurrunt.

Denique sex periodi exhibent enuntiata temporalia inchoata a particula *cum.* Atque periodus orditur a tali enuntiato secundario v 504: *cum tecum est, quidvis satis est.* cf. v 217. Enuntiatum temporale insertum est primario, quia res maioris momenti in exordio periodi posita est, hoc loco: v 91 *Graece ergo praetor Athenis . . . te, cum ad me accedis, saluto.* In ceteris autem exemplis enuntiatum secundarium finem facit periodi, aut quod enuntiatum primarium continet allocutionem v 1015: *gaudes, cum de me ista foris sermonibus differs,* aut quod enuntiatum temporale additum est enuntiato comparativo v 575: *iam disrumpetur, medius iam, ut Marsus colubras disrumpit cantu, venas cum extenderit omnis.* cf. v 198.

3. Sequuntur enuntiata causalia quorum duo modo exempla integra proponere possumus. Si enuntiatum causale enuntiato primario praeparando inservit, periodus ab illo ordiri solet; v 204: *nunc cum hoc non est, qui credimus porro divitias ullas animum mi explere potisse?* Enuntiatum causale quod explicat id quod est in enuntiato primario, in huius fine sequitur v 538: *nupturum te nupta negas, quod vivere Ulixen speras.*

4. Pervenimus ad enuntiata condicionalia, quorum in Lucilii saturarum fragmentis complura exstant exempla integra.

Ordini naturae convenit ut enuntiatum condicionale antecedat enuntiato primario. Nostra autem interest ea inprimis exempla tractare quae contrariam enuntiatorum collocationem exhibent. Atque hoc quidem fit, si enuntiatum condicionale ad unum verbum pertinet ut v 273: *nunc, praetor, tuus est: m e u s, si discesserit horno Gentius* (cf. v 377), aut si enuntiatum primarium continet interrogationem; v 1051: *quid vero est, centum ac ducentum possideas si milia . . .?*

5. Complures in Lucilii saturarum reliquiis inveniuntur periodi finales. Atque uno loco periodus orditur ab enuntiato finali, quod quidem opinionem personae loquentis exprimit; v 1078: *publico equo lege ut mereas,*[1]) *praesto est tibi quaestor.* Ceteris omnibus locis enuntiatum secundarium ad primarium se adiungit ut v 350 . . . *discere, ne te res ipsa ac ratio ipsa refellat.* cf. v 365. v 370. v. 1232.

Notandum est singulare exemplum in quo enuntiatum finale ex verbo pendet quod sensu supplendum est; v 86: *Crassum habeo generum, ne rhetoricoterus tu seis.* Similia exempla saepius occurrunt apud poetas comicos.

6. Iam cum nulla exstet periodus concessiva, afferantur duo loci, ubi enuntiata consecutiva rite locum tenent post enuntiatum primarium: v 20. v 988.

1) Ita scribo cum Cichorio p. 215.

Hae sunt omnes periodi simplices quae satis integrum praebent sensum ut eorum structura cognosci possit.

7. Quod attinet ad periodos compositas, quae duo aut plura enuntiata secundaria exhibent, undecim invenimus exempla quae certis schematis significari possunt.

Atque ex eis periodis quae duo enuntiata secundaria inter se diversa exhibent aliae aliam habent structuram. Primi tantum ordinis enuntiata continentur in his tribus exemplis: v 987: *sed tamen hoc dicas quid sit, si noenu molestum est.* $\frac{\text{A}}{\text{int, cd}}$; v 1250 — 1251: *pistricem validam, si nummi suppeditabunt, addas empleuron, mamphulas quae sciat omnis.* A (cd) $\frac{\text{A}}{\text{rel}}$; v 91 — 92: *Graece ergo praetor Athenis, id quod maluisti, te, cum ad me accedis, saluto.* A (v) (rel) A (tp) A.

In ceteris exemplis singula enuntiata etiam secundi ordinis insunt. Quarum structurae hae snnt: cd (rel) cd : A v 203 sq: *nam si, quod satis est homini, id satis esse potisset, hoc sat erat;* $\frac{\text{cd}}{\text{rel}}$: A v 33 — 34: *si me nescire hoc nescis quod quaerere dico, quare divinas quicquam?* (cf. v 35); $\frac{\text{A}}{\text{fin (rel) fin}}$ v 1227: *nunc ad te redeo, ut, quae res me impendet, agatur.* $\frac{\text{A app}}{\frac{\text{cp}}{\text{tp}}}$ v 575 — 576: *iam disrumpetur, medius iam, ut Marsus colubras disrumpit cantu, venas cum extenderit omnis.*

Huc etiam pertinet unus verborum circuitus qui complura enuntiata secundaria eiusdem generis continet, quorum primo aliud enuntiatum extra constructionem subiunctum est: v 185 — 188: $\frac{\text{cd}_1}{\text{[csl]}}$ *et* cd_2 *ac* $\frac{\text{cd}_3 : \text{A}}{\text{cd}_4}$. Formam infinitivis auctam praebet periodus, quae est v 1228 — 1234: $\frac{\text{A}_1;\ \text{A}_2;\ \text{A}_3}{\frac{\text{fin}\ \text{i}_1\ \text{i}_2\ \text{i}_3\ \text{i}_4}{\text{cp — cd}}}$.

Reliquae sunt singulae periodi quae tria et quattuor enuntiata secundaria continent; $\frac{\text{cd}}{\text{rel}}$: $\frac{\text{A}}{\text{fin}}$ v 360 — 361: *si plura haec feceris pila quae iacimus, addes e ‘peila‘, ut plenius fiat;* int, css : $\frac{\text{A}}{\frac{\text{csl}}{\text{rel}}}$ v 181 — 183: *quo me habeam pacto, tametsi non quaeris, docebo, quando in eo numero mansi, quo in maxima non*

est pars hominum. Denique singularem structuram praebet verborum ambitus, qui omnium est maximus: v 1326 — 1338

$A(v)\ Ai_1\ (rel_1, rel_2)\ i_1\ A\ i_2,\ A\ i_3 \qquad Ai_4\ Ai_5\ Ai_6\ i_7\ i_8\ i_9\ i_{10}\ i_{11}\ i_{12}$

$rel_3\ \ int_1\ int_2\ int_3\ int_4 \qquad rel_4$

Nullus in Lucilii fragmentis exstat verborum circuitus qui enuntiata secundaria tertii vel inferioris ordinis exhibeat. Neque exspectandum est poetam, qui, cum plerumque res ad communem vitam pertinentes tractaret, inprimis sermone cotidiano usus est, magnas struxisse periodos easque complicatas. Tamen repperimus verborum ambitum (v 1326 — 1338), qui tredecim versus amplectitur, cum maxima Ennii periodus per quinque tantum versus se extendat, nisi forte huc refers obscurum illum enuntiatorum acervum qui est ann. v 234 — 251.

Denique si quis in Lucilii parataxis usum inquisiverit, concedere debebit poetam, quamvis eius oratio plerumque concitata et commota sit, copulationem mere paratacticam non ita saepe usurpavisse. Sed quia omnes fere loci, qui huc spectant, aliqua ex parte turbati sunt, supersedimus eos afferre.

Haec satis habemus exposuisse de Lucilii periodis.

III.

Longe aliter atque apud Ennium et Lucilium periodorum ttructura se habet in Lucretii de rerum natura libris. Ut omittamus quod poeta rarissime parataxin usurpavit, in eius libris etiam numerus periodorum quae duo et plura enuntiata secundaria exhibent, multo maior est quam apud ceteros omnes poetas. Atque nonnullae periodi compositae tam longae sunt, ut decem vel quattuordecim vel viginti versus compleant. Quo fit ut saepe perspicuitas orationis laedatur neque raro sensus obtundatur, atque hoc quidem ea de causa, quod poeta saepius consecutionis ordine praetermisso aliud enuntiatum ali subiunxit aut interposuit et periodos ultro crebris additamentis, inprimis participiis et infinitivis adeo auxit, ut nonnunquam difficile sit primo obtutu structuram perspicere. Quanta licentia Lucretius periodos componere consueverit ex eo quoque apparet, quod in eius versibus haud raro inveniuntur verborum ambitus qui enuntiata secundaria quarti vel quinti vel sexti ordinis exhibent.

1. In medias res intrantes eodem ac supra ordine initium facimus a conexione relativa. Sed quoniam numerus periodorum simplicium permagnus est, sufficiat unum alterumve exemplum uniuscuiusque generis verbis adscribere et siquid insolitum occurrit, id adnotare.

Ea enuntiata relativa quae attributionem continent, apud Lucretium raro interposita sunt enuntiato primario. Huc spectant haec exempla: II 150: *at vapor is quem sol mittit lumenque serenum, non per inane meat vacuum.* VI 914: *principio omnibus ab rebus, quascumque videmus, perpetuo fluere ac mitti spargique necessest corpora, quae feriant oculos visumque lacessant.* III 94. 849. 996; IV 275. 380. 813; V 631; VI 1028 etc. etc.

Numero multo plures sunt ei loci in quibus enuntiatum relativum sequitur in fine enuntiati primarii. Exempli causa affero has periodos: I 303 *in parvas igitur partes dispergitur umor, / quas oculi nulla possunt ratione videre* (s = v). III 299: *at ventosa magis cervorum frigida mens est / et gelidas citius per viscera concitat auras, / quae tremulum faciunt membris existere motum* (s = v). I 375. 396. 414. 520. 575. 824; II 20. 109. 331. 443. 567. 576; III 18. 234. 300. 849. 1040 etc. Atque ex eis, quae verbis adscripsimus exemplis apparet poetam id studuisse, ut interpositionem vitaret et singulas sententias singulis adaptaret versibus.

Interdum enuntiatum relativum cum nomine ad quod pertinet ita se coniungit ut una tamquam efficiatur enuntiatio; IV 881: *umor enim discedit in omnia quae loca cumque poscunt umorem.* cf. I 208; II 13; IV 275. 551. 651; VI 368. 558.

Nonnullis locis enuntiatum relativum ad nomen antecedens nihil attribuit, sed novam inducit rem quae etiam enuntiato coordinato adnecti potuit ut I 710: *quorum Acragantinus cum primis Empedocles est, / insula quem triquetris terrarum gessit in oris / quam fluitans circum aequor Ionium adspargit* etc. (s = v) cf. II 989; IV 892.

Hic etiam mentio fiat adiunctionis relativae quae dicitur, quae inprimis sermoni pedestri convenit. Hanc enim adiunctionem Lucretius multo saepius adhibuit quam ceteri omnes poetae, ita ut in quavis fere pagina occurrant exempla. Apud Ennium huius rei nulla inveniuntur vestigia, et Lucilius eam rarissime usurpavit. Ac ne apud posteros quidem poetas multa exstant exempla, quamquam unusquisque nonnulla admisit.

Item eis enuntiatis relativis quae generalia et indefinita vocantur Lucretius crebrius usus est quam ceteri poetae. Atque haec enuntiata, quae sunt pro parte subiecta vel obiecta vel pro adverbio, in exordio periodi locum tenere solent. Affero haec exempla: V 312: *qui numquam vero vitae gustavit amorem nec fuit in numero, quid obest non esse creatum?* v 312: *nam quodcumque alias ex se res auget alitque, deminui debet.* I 501: *nam quacumque vacat spatium . . . , corpus ea non est.* II 743: *denique nos ipsi caecis quaecumque tenebrit tangimus, haud ullo sentimus tincta colore.* I 358. 443. 502. 629. 786; II 100. 444. 586. 771; III 1 638. 754 etc.

Sin autem in enuntiato primario vox quaedam aut verbum exstat in quo pondus et vis totius sententiae sita est, enuntiatum relativum postponitur enuntiato primario. Afferantur haec exempla: I 677: *ignis enim foret omnimodis, quodcumque crearent.* cf. II 451; IV 832; V 142: *tangere enim non quit quod tangi non licet ipsum.* Neque aliter res se habet, cum sententia enuntiato relativo in commune vertitur ut VI 295: *hoc fit idem in partis alias, quocumque tulit vis.*

Denique enuntiata relativa etiam pro aliis enuntiatorum generibus usurpata sunt ut pro enuntiato causali: II 87: *neque enim mirum, durissima quae* (= cum) *sint ponderibus solidis neque quicquam a tergo ibus obstet* (cf. III 881), aut pro finali: II 20: *ergo corpoream ad naturam pauca videmus esse opus omnino, quae demant cumque dolorem* (cf. I 375; III 941; IV 656; V 1297; VI 658), aut pro concessivo: IV 380: *exstantisque procul medio de gurgite montis, classibus inter quos liber patet exitus ingens, insula coniunctis tamen ex his una videtur* (cf. I 960.), aut denique pro consecutivo: I 396: *verum animo satis haec vestigia parva sagaci sunt, per quae possis cognoscere cetera tute* (cf. II 220. 240. 442. 616; IV 143; VI 223. 1065). Talia similiaque exempla infra videbis a Vergilio quoque saepius usurpata esse.

Commemoranda etiam sunt enuntiata relativa brevia, quae per parenthesin aliis enuntiatis interposita sunt ut *quod super est, quod diximus ante* similia; quae Lucretius saepius admisit, quamquam plerumque in sermone pedestri adhibentur.

Iam supra dictum est in Lucretii libris perlegendis neminem fugere poetam vocabula et enuntiata cum magna licentia disposuisse eaque re interdum perspicuitatem turbasse. Atque huc referendum est quod pronomen relativum persaepe procul stat ab initio enuntiati ut I 2: . . . *alma Venus, caeli subter labentia signa quae mare navigerum . . . concelebras* etc. I 442; II 622; III 271. 1092; V 462. 606. 725. 847; VI 740. 764 etc. Ac simili modo nomen aut pronomen ex quo relativum pendet et quod locum tenere debet prope relativum, saepe procul ab hoc positum est ut haec exempla docent: VI 223: *hunc tibi subtilem cum primis ignibus i g n e m constituit natura minutis mobilibusque corporibus, c u i nil omnino obsistere possit.* II 807: *pluma columbarum quo pacto in sole videtur / q u a e sita cervicemst circum collumque coronat* (s = v). cf. II 807. 1146; III 128. 370. 849. 1040. 1043. 1090; IV 117. 313. 327. 1168; VI 192. 712. 900. 1065. Tamen hoc non est mirum, si respicimus Lucretium in versibus condendis et in vocabulis disponendis nondum ad eam perfectionem pervenisse qua posteri poetae excellebant.

Maioris autem momenti est quod collocatio enuntiatorum relativorum intra periodos saepius ab ordine consueto aliena est-

Sic enuntiatum relativum generale interpositum est, quamvis periodus ab eo incipere debeat III 515: *at neque transferri sibi partis nec tribui vult, immortale quod est, quicquam neque defluere hilum* (cf. I 226). Alio loco enuntiatum relativum indefinitum quod vocatur in fine periodi collocatum est, cum alias in eius initio poni soleat; I 463: *namque aliud saeclis, aliud regionibus ipsis eventum dici poterit, quodcumque erit actum.* Sed talibus similibusque locis non dubium est quin poeta difficultatibus metricis coactus insolitam verborum collocationem admiserit.

Simili modo relativum proprium quoque interdum insolitum obtinet locum ut II 1146: *iamque adeo fractast aetas effetaque tellus vix animalia parva creat, quae cuncta creavit saecla deditque ferarum ingentia corpora partu.* In hac quidem periodo enuntiatum relativum senties melius interpositum fuisse enuntiato primario alteri post vocem *tellus.* Altero loco enuntiatum relativum antecedit nominibus ad quae pertinet, cum ea subsequi debeat: IV 598: *nec, quis sentimus sucum, lingua atque palatum plusculum habent rationis plus operaeve.* Insolitam item speciem praebet periodus quae est IV 370: *qua vehimur navi, fertur, cum stare videtur.* [1]) Neque structurae consuetae respondet ut verbum principale, cuius quidem locus est in fine periodi, antecedat enuntiato relativo IV 356: *propterea fit uti videatur, quae fuit umbra corporis, e regione eadem nos usque secuta.* Qua propter etiam nomen subiectum inditum est enuntiato relativo. cf. III 94. 1025.

Denique notandum est duas partes enuntiati primarii quae sensu arte cohaerent nonnunquam duobus enuntiatis relativis interpositis disrumpi ut III 94: *animum dico, mentem quam saepe vocamus, in quo consilium vitae regimenque locatumst, esse hominis partem non minus ac manus* etc. cf. III 941.

Si enuntiata relativa in Lucretii libris adhibita comparamus cum enuntiatis relativis apud ceteros poetas, concedere debemus excepto Vergilio neminem eorum hoc enuntiatorum genus tam crebro et tam varia ratione usurpasse quam Lucretium.

Sed quod Lucretius vocabula et enuntiata tanta libidine disposuit, huius rei altera causa videtur esse ea, quod poeta novam materiem tractandam in se suscepit, qua in re egestas linguae Latinae (cf. I 130 sqq. 824 sqq.) valde obstitit ita ut saepe cogeretur singulas res totis circumscribere enuntiationibus. Nec dubium est, quin altera causa fuerit ea, quod Lucretius in versibus condendis ea arte carebat qua posteri poetae, inprimis Catullus et Vergilius, praestabant. Ac si tecum reputaveris Lucretium in ista materie tractanda a scriptoribus Graecis exempla petivisse,

---

1) cf. Bach, De attractione quae dicitur inversa apud scriptores latinos Progr. gymnas. St. Stephani, Argentorati 1888;
Holtze, Syntaxis Lucretianae lineamenta p. 109.

non miraberis quod ei non semper contigit ut illud propositum linguae Latinae et versui hexametro semper apte accommodaret, et quod verba et enuntiata cum maiore libidine per versus disponeret.

Haec hactenus de Lucretii enuntiatis relativis.

2. Iam aggrediamur ad proximum genus periodorum simplicium scilicet earum quae continent enuntiata temporalia.

Atque periodus incipit ab enuntiato temporali inchoato a particula *postquam* hoc solo loco: III 1037: *denique Democritum postquam matura vetustas admonuit memores motus languescere mentis, sponte sua leto caput obvius obtulit ipse.* In altera periodo tale enuntiatum insolenter quidem sed haud incommode collocatum est post enuntiatum primarium: V 1270: *arma antiqua manus ungues dentesque fuerunt, et lapides et item silvarum fragmina rami, et flamma atque ignes, postquam sunt cognita primum.* Hoc enim loco enuntiatum temporale nihil aliud nisi communem temporis notitiam adicit ad verbum *antiqua* (scil. arma).

Eodem modo indicatur rem alteram praeterlabentem subsequi alteram eis enuntiatis quae introducuntur particulis *ut* (I 1024), *ubi* (I 149. 244; III 152. 449; IV 403. 507; V 397. 665; VI 277. 601 etc.), *cum* (II 85. 812; III 437. 1081; IV 436. 641; V 386. 1325; VI 293. 1209 etc.), *simul* (I 81. 83), *simul ac* (I 10; III 14; IV 433), *simul atque* (IV 1081). Atque his omnibus locis periodus initium capit ab enuntiato temporali. Sed non desunt exempla in quibus contrarius ordo enuntiatorum inveniatur. Huc pertinent hi loci: I 244 *postremo pereunt imbres, ubi eos pater aether in gremium matris terrai praecipitavit.* IV 507. 512. 897; V 1228; VI 510. In quibus periodis enuntiatum secundarium explicat id quod est in enuntiato primario atque eapropter huic postpositum est. Deinde talia enuntiata item in fine periodi locum habent si addita sunt enuntiato comparativo ut V 526; VI 146. 1092. etc.

Singulari ratione Lucretius usus est particula *quoniam* quae octo locis usurpata est instar particulae temporalis *postquam;* sic I 259: *nunc age, res quoniam docui non posse creari de nilo neque item genitas ad nil revocari, . . . accipe praeterea quae corpora tute necessest confiteare esse in rebus nec posse videri.* cf. I 945; II 478. 745. III 31; IV 26; V 759; VI 43. Apud ceteros poetas talia exempla non inveniuntur excepto uno quod est Verg. Georg. IV 437.

Eae periodi in quibus exstant enuntiata inchoata a particula *cum* aeque ab enuntiato primario atque ab secundario ordiri possunt, si quidem utriusque actio per idem temporis spatium extenditur.

Atque periodus incipit ab enuntiato secundario, si hoc correlationem inducit ut IV 426: *raraque per caelum cum venti nubila*

portant tempore nocturno, tum splendida signa videntur labier adversum nimbos etc. (cf. V 1191; VI 358.), aut si tamquam vim condicionalem continent ut II 175: *quorum omnia causa constituisse deos cum fingunt, omnibus rebus magno opere a vera lapsi ratione videntur.* cf. II 323. 624. 1016; III 112. 876; IV 210. 229. 555; V 203. 335; VI 213. 526. 889 etc.

Eiusmodi enuntiata inserta sunt enuntiato primario, si more enuntiatorum relativorum aliquam notitiam adiciunt ad ea quae antecedunt. Exempli causa afferatur periodus quae est I 875; *conveniebat enim fruges quoque saepe, minaci robore cum saxi franguntur, mittere signum sanguinis etc.* cf. II 763. 812. 895; IV 986. Optime porro concinnitati respondet collocatio enuntiatorum in hoc exemplo: III 1081 *post aliud, cum contigit illud, avemus.*

Denique maxima pars periodorum huius generis ita structa est, ut enuntiatum secundarium sequatur in fine primarii. Atque hoc fit, sive quod in enuntiato primario continetur compellatio ut II 114; *contemplator enim, cum solis lumina cumque inserti fundent radii per opaca domorum* (cf. II 415; VI 158. 187), sive res quae enuntiato secundario comprobatur aut explicatur ut II 868: *quippe videre licet vivos existere vermes stercore de taetro, putorem cum sibi nactast intempestivis ex imbribus umida tellus* (cf. II 1138, III 145. 437. 595. 916. 1003; IV 75. 527. 919. 1016; V 386. 1023; VI 119. 346. 496 etc.), sive quod enuntiatum secundarium oppositum est primario; IV 560: *sex etiam aut septem loca vidi reddere voces, unam cum iaceres.* cf. III 660.

Si tale enuntiatum temporale additum est enuntiato relativo aut comparativo, his interpositum aut postpositum esse potest prout sententiarum ordo sibi postulat.

Addendi sunt quattuor loci, ubi poeta particulam *quando* eodem modo usurpavit atque particulam *cum.* I 488: II 963; III 383; V 401.

Enuntiata temporalia quae introducuntur per particulam *dum* antecedere solent enuntiato primario, si indicant rem priorem iam tum valuisse cum res posterior incideret; I 653: *ardua dum metuunt amittunt vera viai* etc. Nec multum ab hoc exemplo differunt ea, ubi enuntiato temporali nonnulla verba praemittuntur quae sensu cum eis quae antecedunt artius cohaerent; III 68: *unde homines, dum se falso terrore coacti effugisse volunt longe, . . . sanguine civili rem conflant divitiasque conduplicant avidi* etc. cf. IV 595.

Si tale enuntiatum temporale totum temporis spatium significat per quod actio extenditur, enuntiato primario postpositum est. Huc pertinent haec exempla: IV 541 . . . *aera per multum confundi verba necessest et conturbari vocem, dum transvolat auras.* II 1120; IV 612; V 776. 1086. Haec enuntiata item postponiuntur

enuntiato primario, si indicant novam rem incidere tum, cum res prior ad finem perducta sit. En habes tria exempla: I 1038: *cudere enim crebro possunt partemque morari, / dum veniant aliae ac suppleri summa queatur.* (s = v) V 687; VI 896.

Non multum ab his periodis differunt eae in quibus enuntiatum temporale inducitur per particulam *donec.* Nam hoc quoque enuntiatum secundarium in fine primarii sequi solet; II 740: *nam tum materiem totius corporis omnem perspicunmst nobis invitis ire rapique. / donec eam refrenavit per membra voluntas.* cf. II 945. 1125; III 652; V 862; VI 200. 449. 1006.

Denique particulis *antequam* et *priusquam* significantur actiones posterioris temporis, quapropter haec enuntiata secundaria periodum finire solent. Hac in re commemorandum est Lucretium aeque atque posteros poetas metri gratia fere omnibus locis harum particularum partem priorem (ante — prius —) iam in enuntiato primario antecedente collocasse; IV 825 . . . *et lacerare artus foedareque membra cruore ante fuit multo quam lucida tela volarent etc;* VI 896: *multaque praeterea prius ipso tacta vapore eminus ardescunt quam comminus imbuat ignis.* cf III 391; IV 817. 820; V 380; VI 168. 910. Sed mirum est quod Lucretius particulam *postquam* eadem ratione usurpavit atque particulas *antequam* et *priusquam* in periodo quae est VI 162: *sed tonitrum fit uti p o s t auribus accipiamus, fulgere q u a m cernant oculi.* Neque enim te fugit hanc particulam distractam et partem eius priorem in enuntiato antecedente positam esse. Tale quidem exemplum apud nullum ceterorum poetarum invenimus.

Restat ut proponamus nonnullas periodos in quibus per particulam *ubi* insolito more introducuntur enuntiata causalia et condicionalia. I 174: *quodsi de nilo fierent, subito exorerentur incerto spatio atque alienis patibus anni, quippe ubi* (= quoniam) *nulla forent primordia, quae genitali concilio possent arceri tempore iniquo.* cf. I 236. 610; III 313; IV 417. Vis condicionalis autem inest in his duabus periodis: I 161 *quippe ubi non essent genitalia corpora cuique, / qui posset mater rebus consistere certa?* (s = v). cf. IV 906. Quam varia ratione Lucretius coniunctionem *quippe* usurpaverit, infra accuratius expositum est.

Vidimus ergo Lucretium multo plura et inter se magis diversa enuntiata temporalia adhibuisse quam Ennium et Lucilium Ac ne posteri quidem poetae in hac re prope ad eum accedunt praeter unum Vergilium. Sed hoc etiam ex exemplis apparet Lucretium in collocandis et adhibendis his enuntiatis saepius insolitam iniisse rationem.

3. Quibus expositis nos convertamus ad enuntiata causalia tractanda.

Ac primum si numerum enuntiatorum causalium in Lucretii libris comparamus cum numero horum enuntiatorum apud ceteros poetas, nos fugere non potest Lucretium haec enuntiata creberrime adhibuisse. Sunt enim numero trecenta fere, atque haec quidem in septem milibus atque trecentis fere versibus, cum Vergilii Aeneidos libri fere decem milia versuum continentes non multo plus quam triginta exhibeant enuntiata causalia. Sed hoc non tam mirum est proptera, quod Lucretius materiem tractandam sibi sumpsit quae prorsus aliena est ab ea quam ceteri poetae tractaverunt. Eadem de causa Lucretius multo rarius parataxi usus est quam illi.

Quod attinet ad structuram periodorum causalium, apud Lucretium sicut apud ceteros scriptores enuntiatum secundarium initium facit periodi, si enuntiato primario praeparando et introducendo inservit. Exempla afferimus haec: I 163 *at nunc seminibus quia certis quaeque creantur, / inde enascitur atque oras in luminis exit* etc. (s = v); II 37: *quapropter quoniam nil nostro in corpore gazae proficiunt neque nobilitas nec gloria regni . . . animo quoqne nil prodesse putandum.* II 923: *quatenus in pullos animalis vertier ova cernimus alituum . . . scire licet gigni posse ex non sensibus sensus.* I 505. 549. 620; II 83. 458. 801; III 203. 578. 954; IV 63. 784. 931; V 233. 412. 1135; VI 336. 551. 974. etc.

Nonnullis locis enuntiatum causale interpositum est enuntiato primario sed ita ut locum obtineat ante verbum principale; I 313: *haec igitur minui, cnm sind detrita, videmns.* cf. III 693. 729; IV 18; V 439; VI 331. etc.

Sed cum enuntiatum causale accuratius explicat id quod est in enuntiato primario, in huius fine positum est ut II 706: *quorum nil fieri manifestumst, omnia quando seminibus certis certa genetrice creata conservare genus crescentia posse videmus.* cf. I 562; III 666. 827; IV 509. 680; V 257. 521; VI 247. 543. etc.

Denique plerisque locis enuntiatum primarium excipitur enuntiato causali quia hoc tamquam supplementum illius continet. Exempli gratia adscripsimus hos locos: I 104 *nunc ratio nullast restandi, nulla facultas, / aeternas quoniam poenas in morte timendumst* (s = v). III 493: *exprimitnr porro gemitns quia membra dolore adficiuntur* etc. V 134: *haud igitnr constant divino praedita sensu, / quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata* (s = v). Sed cum longum sit omnes locos huc pertinentes afferre, liceat adponere complures locos ubi enuntiatum causale aut obiectivum pendet ex aliquo demonstrativo antecedente. Inveniuntur: *hac re* I 166; *hoc* II 125; *illud* IV 869; V 237. 669; VI 1221; *ideo* III 582; IV 744; V 346; VI 1096; *propterea* II 805; IV 190. 320. 331; V 905; VI 94. 455. 1039. Particula affirmativa *nimirum* antecedit his locis: I 562; II 886; III 193. 490; IV 353;

582. 695; V 1417; VI 655. 854; *nec mirnm:* VI 128. 371. Denique adverbium *nequiquam* invenitur in his versibus: V 832. 1258. 1300. 1319. etc.

Haec satis sunto de Lucretii enuntiatis causalibus.

4. Jam ordine progredientes pervenimus ad enuntiata finalia quae vocantur.

Similiter atque enuntiata relativa quibus aliquod inest consilium enuntiata finalia quoque subsequi solent enuntiatum primarium ex quo pendent.

In exordio autem periodi collocata aut enuntiato primario interposita sunt haec enuntiata tum cum opinionem aut consilium subiecti agentis exprimunt. Talia quidem exempla in Lucretii versibus rarius occurrunt. Invenimus autem haec: I 364 *illud in his rebus ne te deducere vero possit, quod quidam fingunt, praecurrere cogor.* III 417: *nunc age, nativos animantibus et mortalis esse animos animasque levis ut noscere possis, conquisita diu dulcique reperta labore digna tua pergam disponere carmina cura.* I 412. 932. 962. 1044; II 22. 289. 541. 717. 839. 970; IV 117; 616. 803. 1231; V 91. 499. 1078; VI 78.

Nonnullis locis enuntiatum finale ex altero pendet enuntiato secundario ita ut medium teneat locum inter hoc et enuntiatum primarium subsequens. I 800; II 225; IV 174 etc.

Sequuntur periodi in quibus enuntiatum finale in fine collocatum est, quoniam in eo propositum enuntiati primarii conficitur. Atque huius modi exemplorum numerus triplici maior est quam numerus eorum in quibus enuntiatum secundarium praepositum aut insertum est primario. Sed quia longum est omnes locos afferre, sufficiat nonnulla exempla verbis adscribere. I 74: *illud in his rebus vereor, ne forte rearis impia te rationis inire elementa viamque indugredi sceleris.* II 781: *praeterea nil officiunt obstantque figurae dissimiles, quo quadratum minus omne sit extra* etc. II 426: *sunt etiam quae iam nec levia iure putantur esse . . . sed magis angellis paulum prostantibus, utqui titillare magis sensus quam laedere possint.*

5. Quibus expositis transeamus ad enuntiationes condicionales, quarum permagnus numerus exstat in Lucretii libris.

Vt iam supra dictum est enuntiata condicionalia plerumque antecedere solent enuntiato primario. Sed apud omnes fere scriptores etiam contraria invenitur collocatio, prout sententiarum ordini convenit. Haec quidem enuntiata diligentius pertractare praecipue ad nos pertinet.

Ac primum licet observare enuntiatum condicionale adiungi ad enuntiatum primarium, si in hoc continetur verbum mirandi vel simile quid; V 786: *quo minus est mirum, si tum sunt plura*

coorta et maiora etc. IV 795; V 182. 736. 1043. 1225; VI 371. 482. 648 etc.

Eodem modo enuntiatum primarium excipitur enuntiato condicionali si in illo inest interrogatio aut exclamatio; I 639: *nam cur tam variae res possent esse, requiro, / ex uno si sunt igni puroque creatae?* (s = v). VI 795: *carbonumque gravis vis atque odor insinuatur quam facile in cerebrum, nisi aquam praecepimus ante.* cf. I 372; II 389. 949; III 613. 766. 947; V 175.

Neque aliter periodi structura se habet, si id quod est in enuntiato primario in augustiores fines tamquam contrahitur enuntiato condicionali ut II 308: *illud in his rebus non est mirabile, quare . . . summa tamen summa videatur stare quiete, / praeterquam si quid proprio dat corpore motus* (s = v). VI 313: *sic igitur quoque res accendi fulmine debet, / opportuna fuit si forte et idonea flammis* (s = v). II 494. 654. 858; III 788. 859. 923; IV 23. 759. 785; V 196. 594. 1412; VI 738. 787 etc.

Eodem modo enuntiatum condicionale postpositum est ei enuntiato ad quod pertinet, si hoc enuntiatum ipsum pendet. Huc spectant hi loci: IV 518 *nec te fallit item quid corporis auferat et quid detrahat ex hominum nervis ac viribus ipsis perpetuus sermo . . . , praesertim si cum summost clamore profusus.* I 1029; II 440; III 210. 906. 1057; IV 281. 348. 600. 1245; V 270; VI 150. 579.

Enuntiatum condicionale quod ad unum pertinet verbum enuntiati primarii, huic se adiungit. V 1432: *propterea quid sit prius actum respicere aetas nostra nequit, nisi qua ratio vestigia monstrat.* cf. I 507; II 34; III 571; IV 490; V 1432 etc.

Cogitationum ordini porro respondet ut enuntiatum condicionale irreale quod vocatur periodum ad finem perducat, si modo ei sensus subest negans ut VI 259: *neque enim caligine tanta obruerent terras, nisi inaedificata superne multa forent multis exempto nubila sole.* cf. I 232. 641. 674; IV 1182; V 517; VI 263 etc.

Nonnullis autem locis poeta collocationem enuntiatorum in talibus periodis mutavit ut I 329: *quod si non esset, nulla ratione moveri res possent* etc. cf. I 465; II 221; V 38. Cuius rei causa non est satis perspicua, nisi forte poeta explicationem arte coniungere studuit cum eis quae antea dixit, eamque ob rem contrariam collocationem enuntiatorum praetulit. Quod quidem eo comprobari videtur, quod in his periodis usus est particulis *quod si, porro si, denique si.*

Postremo in fine enuntiati primarii sequuntur omnia enuntiata condicionalia decurtata, ut ita dicam; quae plerumque ad unum pertinent verbum et saepe cum alio enuntiato secundario coniuncta sunt. Huc spectant haec exempla: I 193 *denique cur*

homines tantos natura parare non potuit, pedibus qui pontum per vada possent transire . . ., s i n o n , materies quia rebus addita certast gignundis, e qua constat quid possit oriri? (cf. I 168; III 742); *nec ullam rem — nisi:* I 298. 684; *nihil (aliud) — nisi:* I 510; II 17; V 417. 934. 951; *quid — si non:* III 354; *non — nisi:* II 932; *cur — nisi quod:* III 480; *quae res — nisi:* IV 103; *nec ratione alia — nisi quod;* III 739; V 338; *simili ratione — nisi quod:* IV 736.

6. Iamque nos convertamus ad enuntiata concessiva inquisìturi quam rationem Lucretius in eis adhibendis secutus sit.

Ex eis quae invenimus exemplis apparet poetam haec enuntiata plerumque in exordio periodi collocasse aut post aliquam particulam posuisse ita ut antecederent enuntiato primario: V 1143: *etsi fallit enim divom genus humanumque, / perpetuo tamen id fore clam diffidere debet* (s = v). I 392. 614; II 177. 917; III 307. 538; IV 1260; V 16; VI 540. 931 etc.

A quo ordine recedunt nonnulla exempla quae sunt I 817: *quin etiam passim nostris in versibus ipsis multa elementa vides multis communia verbis, cum tamen inter se versus ac verba necessest confiteare et re et sonitu distare sonanti.* II 469. 687; III 106; 640. 870; V 468; VI 1063.

7. Restat ut nonnulla adiungamus de Lucretii enuntiatis consecutivis.

Ac primum statuendum est haec enuntiata in Lucretii libris numero multo plura esse quam apud ceteros poetas. Vt solum Vergilium nominem, in Aeneide quinque tantummodo enuntiata consecutiva inveniuntur, cum apud Lucretium fere centum exstent exempla.

Quod pertinet ad collocationem enuntiati consecutivi, id postpositum esse necesse est enuntiato primario, si huius propositum in illo ad eventum perducitur. Atque hanc structuram exhibent fere omnes periodi consecutivae in libris Lucretianis. Exempli causa afferantur hi loci: II 235 *at contra nulli de nulla parte neque ullo tempore inane potest vacuum subsistere rei, quin, sua quod natura petit, concedere pergat.* V 158: *quidve novi potuit tanto post ante quietos inlicere ut cuperent vitam mutare priorem?*

In compluribus autem periodis enuntiatum consecutivum, quod quidem ipsum pendet, praepositum est enuntiato primario; I 764; II 338; III 578. 635. 672; IV 183; V 761; VI 237. 488. 1050. 1076. 1223.

Haec satis habemus exposuisse de periodis simplicibus in Lucretii de rerum natura libris.

Sed priusquam progrediamur ad periodos compositas, paucis exemplis demonstrandum est quibus additamentis poeta periodos simplices auxerit. III 403 — 405: *quamvis est circum caesis lacer*

undique membris, truncus, adempta animae vi cum membrisque remota, vivit et aetherias vitalis suscipit auras. Quae periodus hanc praebet formam: css : A_1 (p_1-*que* p_2) A_1 *et* A_2. Deinde uno participio et duobus infinitivis praedita est haec periodus: I 81 — 86: *cui simul infula virgineos circumdata comptus ex utraque pari malarum parte profusast, et maestum simul ante aras adstare parentem sensit, et hunc propter ferrum celare ministros, adspectuque suo lacrimas effundere civis, muta metu terram genibus summissa petebat.* tp_1 (p) tp_1 *et* tp_2 *et* i_1-*que* i_2 : A. Cetera talium periodorum schemata quae denotare alicuius momenti est, hae sunt: I 706 — 709 $\frac{A}{rel_1\ p,\ rel_2}$; II 943 — 947 $\frac{A\ \textit{et}\ B}{tp_1\ (p)\ tp_1\text{-}\textit{que}\ tp_2}$;

V 1371 — 1374 $\frac{A}{rel\ p_1\ p_2}$; III 370 — 373 $\frac{A}{rel\ i_1\ (p)\ i_1\ \textit{ac}\ i_2}$;

I 720—724 css app_1 app_2 : A; II 624—628 tp (p_1) tp : A_1 p_2-*que* A_2 (p_3) A_2; I 792 — 796 A_1 (cd) A_1 (p_1 p_2) A_1 ; A_2 ; IV 943 — 951 rel_1 *aut* rel_2 *atque* rel_3 : A i_1 *et* i_2 i_3 *ac* i_4 i_5 i_6 *et* i_7 *et* i_8.

8. Quibus praemissis aggrediamur ad eas periodos quae duo enuntiata secundaria inter se coordinata exhibent.

Atque haec enuntiata varia ratione disposita esse possunt. Sermoni pedestri potius respondet periodi structura, in qua utrumque enuntiatum secundarium antecedit primario ut quidem in his exemplis I 571 — 573: *at contra si mollia sint primordia rerum, | unde queant validi silices ferrumque creari | non poterit ratio reddi* (s = v). cd, int : A; IV 78 — 80 cd, css : A; V 1397 — 1400 rel, cd : A_1 *et* A_2 -*que* A_3 (p) A_3 ; II 144 — 149 tp_1 *et* tp_2 (p_1) tp_2, int p_2 : A.

Multo maior est numerus exemplorum in quibus alterum enuntiatum secundarium antecedit primario, alterum autem subsequitur. Sufficiat unam periodum verbis adscripsisse ceterarum locos et schemata attulisse. I 163 —165: *at nunc seminibus quia certis quaeque creantur, | inde enascitur atque oras in luminis exit, | materies ubi inest cuiusque et corpora prima* (s = v). csl : $\frac{A_1\ \textit{atque}\ A_2}{rel}$;

I 417 — 419 cd : $\frac{A}{rel}$; (cf. I 866 — 868; 534 — 536; 545 — 548.);

I 427 — 428 rel : $\frac{A}{cd}$; I 552 — 556 cd : $\frac{A\ p}{p\ csct}$;

I 609 — 612 cd : $\frac{A}{csl}$; II 478 — 480 tp : $\frac{A}{rel\ i}$;

II 85 — 86 tp : $\frac{A}{csct}$; II 197 — 200 correl : $\frac{A}{fin}$;

II 831 - 833 csl: $\frac{\text{A}}{\text{csct}}$; II 917 — 920 css: $\frac{\text{A}}{\text{csct}}$;
III 117 — 120 fin-*que* i: $\frac{\text{A}}{\text{csct}}$; III 186 — 188 rel: $\frac{\text{A}}{\text{csct}}$;
III 763 — 765 cd: $\frac{\text{A}}{\text{csl (p) csl}}$; IV 84 — 86 tp: $\frac{\text{A}}{\text{csl}}$;
IV 131 — 134 tp: $\frac{\text{A}}{\text{csct } \textit{et} \text{ i}}$; IV 160 — 161 tp: $\frac{\text{A}}{\text{csct}}$;
(cf. IV 343 — 344; VI 1053 — 1055). IV 370 rel: $\frac{\text{A}}{\text{css}}$;
IV 530 — 542 cd: $\frac{\text{A } \textit{et} \text{ i}}{\text{tp}}$; IV 1230 — 1232 rel: $\frac{\text{A}}{\text{fin}}$.

Talium periodorum nonnullae participiis infinitivis aliis additamentis auctae sunt. Exempli causa adscribimus hunc verborum circuitum: I 434 — 436 *praeterea per se quodcumque erit, aut faciet quid aut aliis fungi debebit agentibus ipsum aut erit, ut possint in eo res esse gerique* rel: *aut* A_1 *aut* A_2 $\frac{\textit{aut}\ \text{A}_3}{\text{csct-}\textit{que}\text{ i}}$; V 196 — 199 rel: $\frac{\text{A}}{\text{cd (p) cd } \textit{et} \text{ i}}$ V 499 — 503 fin: $\frac{\text{A i p}_1\ \textit{atque}\ \text{p}_2}{\text{rel}}$; V 719 — 724 int-*que* i_1 *atque* i_2: $\frac{\text{A}_1 \textit{et} \text{A}_2}{\text{csl}}$; V 894 — 902 rel p: A_1 *tum* A_2 $\frac{\textit{et}\ \text{i}_1\ \textit{aut}\ \text{i}_2}{\text{csct } \textit{et} \text{ i}}$; III 655 — 661 cd (p) cd: A $\frac{\textit{et}\ \text{i}_1\text{-}\textit{que}\ \text{i}_2}{\text{fin}}$; III 434 — 439 csl_1 i_1 *et* i_2 *et* csl_2: $\frac{\text{A-}\textit{que}\ \text{i}_3\ \text{et i}_4}{\text{tp}}$;
V 719 — 724 int-*que* i_1 *atque* i_2: $\frac{\text{A } \textit{et}\ \text{i}_3}{\text{csl}}$.

Sequuntur periodi in quibus alterum enuntiatum secundarium interpositum est primario, cum alterum ei subiunctum sit. I 512 — 513: *materies igitur, solido quae corpore constat, esse aeterna potest, cum cetera dissolvantur.* A (rel) $\frac{\text{A}}{\text{tp}}$; I 238 — 241 A ($\text{csl}_1$ -*que* csl_2) $\frac{\text{A}}{\text{cd p}}$; I 984 — 985 A (rel) $\frac{\text{A}}{\text{int}}$;
II 216 — 220 Ai (tp) $\frac{\text{i}}{\text{rel}}$; II 912 — 913 A (rel) $\frac{\text{A}}{\text{fin}}$;

II 277 — 280 A(css$_1$ *et* css$_2$-*que* i) $\frac{\text{A}}{\text{rel}}$; III 859 — 860 A(cd) $\frac{\text{A}}{\text{rel}}$;

III 421 — 424 A_1 *atque* (tpp) $\frac{\text{A}_2}{\text{csl}_1\text{-}\textit{que}\,\text{csl}_2}$; V 167 — 168 A (rel) $\frac{\text{A}}{\text{tp}}$;

VI 397 — 398 A (tp) $\frac{\text{A}}{\text{fin}}$;

Vtrumque enuntiatum secundarium alterum post alterum includitur partibus primarii quod illis in tres partes dissecatur his duobus locis: VI 893 — 895 *nonne vides etiam, nocturna ad lumina linum nuper ubi extinctum admoveas, accendier ante quam tetigit flammam, taedamque pari ratione?* A (tp_1) A (tp_2) A; V 560 — 563: *proinde, calor quoniam solis lumenque profusum perveniunt nostros ad sensus et loca mulcent, forma quoque hinc solio debet filumque videri, nil adeo ut possis plus aut minus addere, vere.* A (csl_1 *et* csl_2) A (csct) A.

His periodis accedunt aliae in quibus alterum enuntiatum secundarium praepositum, alterum autem interpositum est enuntiato primario. Quae periodi haec praebent schemata: cd : A (rel) A I 378 — 381: *postremo duo de concursu corpora lata si cita dissiliant, nempe aer omne necessest, inter corpora quod fiat possidat inane.* — I 614 — 616 css : A (rel) A; I 945 — 948 tp : A (int_1 int_2) A; II 792 — 796 csl_1 *et* csl_2 : A (rel) A; III 531 — 535 cd *et* i_1 *atque* i_2 : A (rel) A; IV 107 — 110 rel : A (csl) A; IV 632 — 634 csl : A (rel) A; IV 436 — 444 tp_1 *et* tp_2 : A_1 *et* i_1 *et* A^2 -*que* i_2 *et* A_3 *et* i_3 (css) *et* i_4.

Duas tantum apud Lucretium invenimus periodos in quibus utrumque enuntiatum secundarium alterum alteri coordinatum locum habet post enuntiatum primarium. Haec quidem structura apud ceteros quoque poetas raro occurrit. Invenimus enim unum exemplum apud Lucilium, tria exempla apud Vergilium. Lucretianae autem periodi duae has exhibent formas: $\frac{\text{A}}{\text{rel, obi}}$ II 125 — 158;

$\frac{\text{A}_1;\ \text{A}_2}{\text{css, fin}\ \textit{et}\ \text{i}}$ II 460 — 462: *nec tamen haec retineri hamata necessumst: scilicet esse globosa tamen, cum squalida constent, pervolvi simul ut possint et laedere sensus.*

Hae sunt periodi in quibus duo enuntiata inter se coordinata insunt. Sed ut numerus exemplorum compleatur quae enuntiata primi tantum ordinis continent, illis supra allatis adiungendi sunt novem verborum circuitus in quibus tria et plura enuntiata secundaria exstant. Fere omnes periodi huc pertinentes ita sunt structae, ut enuntiatum primarium circumdetur secundariis varia

ratione. Invenimus autem has formas: css p, tp₁ : $\frac{A}{tp_2}$ IV 409—414; css : $\frac{\textit{aut}\ A_1}{fin}$ *aut* A_2 (tp) A_2 VI 1206—1209; tp_1, tp_2 : $\frac{A_1}{rel}$ *et* $\frac{A_2}{csct}$ IV 262—265: *sic ubi se primum speculi proiecit imago, dum venit ad nostras acies, protrudit agitque aera qui inter se cumquest oculosque locatus, et facit ut prius hunc omnem sentire queamus quam speculum.* Quae periodus quattuor enuntiata inter se diversa exhibet.

Ab his exemplis nonnihil differunt alia tria in quibus unum enuntiatum secundarium interpositum est primario. rel_1 : A (tp) $\frac{A}{rel_2}$ IV 954—958; tp : A (rel) $\frac{A}{\textit{et}\ int_1\ \textit{et}\ int_2}$ I 149—152; rel-*que* i : A (cd) $\frac{A}{csct\ p}$ III 482—484: *at quaecumque queunt conturbari inque pediri, significant, paulo si durior insinuarit causa, fore ut pereant aevo privata futuro.*

Reliquae sunt tres periodi quae quidem ordiuntur ab enuntiato primario sed simili ac supra modo ad finem perducuntur. Quarum schemata haec sunt: A $\frac{i(rel_1)i}{tp, rel_2}$ II 246—258; A_1 (rel, csl) A_1-*que* A_2 VI 50—55; A_1 *nec* A_2 (int) A_2 *sed* A_3 (csl (p) csl) $\frac{A_3}{rel}$ *et* $\frac{A_4\ (tp)\ A_4}{csct_1\ \textit{et}\ csct_2\text{-}\textit{que}\ csct_3\ \textit{et}\ csct_4}$ I 1015—1028.

Hae sunt omnes periodi in quibus enuntiata secundaria primi tantum ordinis insunt. Sunt autem numero septuaginta fere.

9. Triplici fere maior est numerus earum periodorum quae enuntiata secundaria etiam secundi aut inferioris ordinis exhibent. Qui est ingens numerus, si eum comparamus cum numero talium periodorum in Vergilii Aeneide, quae quartam fere partem efficiunt et plerumque simpliciore sunt structura quam periodi Lucretianae. Cum autem in Lucretii libris fere ducenta exstent periodorum exempla quae tria et plura enuntiata secundaria varii ordinis continent, in Aeneide paene viginti eiusmodi exempla inveniuntur.

Iamque tractandae sunt eae periodi Lucretianae in quibus duo enuntiata secundaria insunt, quorum alterum ex altero pendet. Sunt hae quidem numero centum fere. In his periodis collocatio enuntiatorum scilicet varia esse potest.

Propter magnum numerum exemplorum sufficiat unum alterumve eorum verbis adscripsisse ceterorum schemata denotasse.

I 145 — 148: *quippe ita formido mortalis continet omnes, quod multa in terris fieri caeloque tuentur, quorum operum causas nulla ratione videre possunt ac fieri divino numine rentur.*

Quam periodum expressimus hoc schemate $\begin{array}{c} \mathrm{A} \\ \hline \mathrm{csl} \\ \hline \mathrm{rel}_1 \textit{ ac } \mathrm{rel}_2 \end{array}$. Ceterarum autem formae hae sunt: I 1029 — 1031 $\begin{array}{c} \mathrm{A} \\ \hline \mathrm{cd} \\ \hline \mathrm{rel} \end{array}$ (cf. III 571 — 573); I 206 — 208 $\begin{array}{c} \mathrm{A} \\ \hline \mathrm{csl} \\ \hline \mathrm{rel} \end{array}$ (cf. I 289 — 291; 366 — 368; IV 190 — 391); II 284 — 287 $\begin{array}{c} \mathrm{Ai} \\ \hline \mathrm{rel} \\ \hline \mathrm{csl} \end{array}$ (cf. IV 937 — 938); II 492 — 494 $\begin{array}{c} \mathrm{A} \\ \hline \mathrm{csct} \\ \hline \mathrm{cd} \end{array}$ (cf. VI 776 — 778); II 639 — 642 $\begin{array}{c} \mathrm{A} \\ \hline \mathrm{csl} \\ \hline \mathrm{fin}_1 \textit{-que}\, \mathrm{fin}_2 \end{array}$; III 26 — 27 $\begin{array}{c} \mathrm{A} \\ \hline \mathrm{csct} \\ \hline \mathrm{rel} \end{array}$ (cf. V 782 — 783; VI 476 — 477; 1056 — 1058); III 319 — 322 $\begin{array}{c} \mathrm{Ai} \\ \hline \mathrm{rel} \\ \hline \mathrm{csct} \end{array}$ (cf. VI 811 — 813); V 623 — 624 $\begin{array}{c} \mathrm{A} \\ \hline \mathrm{csct} \\ \hline \mathrm{csl} \end{array}$ (cf. VI 202 — 204) IV 374 — 377 $\begin{array}{c} \mathrm{A} \\ \hline \mathrm{csl} \\ \hline \mathrm{tp} \end{array}$; V 468 — 469 $\begin{array}{c} \mathrm{A} \\ \hline \mathrm{css} \\ \hline \mathrm{rel} \end{array}$; V 736 — 738 $\begin{array}{c} \mathrm{A} \\ \hline \mathrm{cd} \\ \hline \mathrm{csl} \end{array}$; VI 346 — 347 $\begin{array}{c} \mathrm{A} \\ \hline \mathrm{tp} \\ \hline \mathrm{rel} \end{array}$; VI 787 — 789 $\begin{array}{c} \mathrm{A}_1 \textit{ et } \mathrm{A}_2 \\ \hline \mathrm{cd} \\ \hline \mathrm{tp} \end{array}$

Quibus accedunt totidem exempla eiusdem structurae quae nonnullis additamentis aucta sunt. I 562 — 565 $\begin{array}{c} \mathrm{A}\, [\pi]\, \mathrm{A} \\ \hline \mathrm{csl} \textit{ et } \mathrm{i} \\ \hline \mathrm{rel} \end{array}$; V 1412 — 1414 $\begin{array}{c} \mathrm{A} \textit{ atque } \mathrm{p} \\ \hline \mathrm{cd} \\ \hline \mathrm{rel} \end{array}$; VI 482 — 487 $\begin{array}{c} \mathrm{A\ p} \\ \hline \mathrm{cd} \\ \hline \mathrm{csl} \end{array}$; VI 776 — 778 $\begin{array}{c} \mathrm{A} \\ \hline \mathrm{csct} \\ \hline \mathrm{cd\ p} \end{array}$;

VI 168—170 A ; VI 444—447 A ; VI 742—745 A app_1 app_2 ;
tp — tp — rel
rel p — rel (p) rel — tp

VI 262—264 A ; I 791—894 A[π] ; IV 706—709 A i ;
csct *et* i — csct p — rel
cd — tp — tp[cp]

V 581—584 A ; V 625—630 A ; VI 1020—1021 A ;
int — csl — csct
csl_1 *et* csl_2 — rel_1 *et* rel_2 — csl_1 *et* csl_2

V 585—589 A ; VI 348—352 A ; V 705 — 707
csl_1 *et* csl_2 — csl
csct — rel_1, *et* p rel_2

A ; III 252—255 A *neque* i ; V 1415 — 1418
rel_1 p_1 p_2 *nec* rel_2 — $csct_1$
csl — $csct_2$ *atque* $csct_3$

A[π] ; I 996—998 A[π]A ; VI 1—8 A_1 *et* A_2 *et* A_3 ;
csl — csl — tp p_1
int_1 *et* int_2 — rel_1 *et* rel_2 — rel_1 rel_2 (p_2) rel_2

V 376—381 A_1-*que* A_2 [π] ; V 644—650 A ;
csl_1 (p_1) csl_1 -*que* p_2 *et* csl_2 — *aut* csl_1 (p_1)csl_1 *aut* csl_2
tp. — rel

I 921—928 A_1 i_1 -*que* A_2- *que* i_2 ; V 602—607 A ,
rel — int_1 *atque* p, int_2-*que* int_2
primum csl_1 *deinde* csl_2 p — rel

I 31—37 A ;
csct
rel_1 p_1, *atque* p_2 p_3, rel_2 (p_4 (v) p_4) rel_2-*que* rel_3

Quam periodum extremam liceat verbis adscribere: *nam tu sola potes tranquilla pace iuvare mortalis, quoniam belli fera moenera Mavors omnipotens regit, in gremium qui saepe tuum se reicit aeterno devictus vulnere amoris, atque ita suspiciens, tereti cervice reposta, pascit amore avidos, inhians in te, dea, visus eque tuo pendet resupini spiritus ore.*

Hae periodi, quae numero sunt undequinquaginta omnes eadem sunt structura. Numero totidem fere sunt eiusdem generis exempla quae alias enuntiatorum collocationes exhibent. Atque eorum pars maior ita structa est ut utrumque enuntiatum secundarium praepositum sit primario.

Alterum enuntiatum secundarium subiunctum est alteri his locis: I 228 — 230 *quod si in eo spatio atque ante acta*

aetate fuere, | e quibus haec rerum consistit summa refecta, | inmortali sunt natura praedita certe (s = v). $\frac{\text{cd}}{\text{rel}}$: A;

I 364—365 $\frac{\text{fin}}{\text{rel}}$: A; I 398—403 $\frac{\text{correl}}{\text{tp}}$: $\text{A}i_1\ i_2$;

I 429—430 $\frac{\text{rel}}{\text{css}}$: A; I 497—500 $\frac{\text{csl app}}{\text{rel}}$: A; I 514—515 $\frac{\text{cd}}{\text{rel}}$: A;

I 669—673 $\frac{\text{csl}}{\text{rel}_1\ \text{rel}_2}$: A; III 791—794 $\frac{\text{csl}_1\text{-}\textit{que}\ \text{csl}_2}{\text{int}}$: A *atque* i;

III 876—878 $\frac{\text{tp}}{\text{cp}}$: A; III 941—942 $\frac{\text{int}}{\text{rel}}$: A;

IV 98—101 $\frac{\text{csl}}{\text{rel}}$: A (cf. IV 732—733.); IV 536—538 $\frac{\text{tp}}{\text{rel}}$: Ai;

V 161—163 $\frac{\text{rel}}{\text{tp}}$: A; III 672 — 674 $\frac{\text{cd}}{\text{csct}}$: A [π] A;

V 403—405 $\frac{\text{tp}}{\text{rel}}$: A; VI 632—634 $\frac{\text{int}}{\text{csct}}$: A.

Formas pleniores exhibent complures periodi eiusdem structurae ut I 56—61: *humana ante oculos foede cum vita iaceret | in terris oppressa gravi sub religione, | quae caput a caeli regionibus ostendebat | horribili super aspectu mortalibus instans, | primum Graius homo mortalis tollere contra est oculos ausus primusque obsistere contra* (s = v).

Quam periodum significavimus hoc schemate: $\frac{\text{tp}\ p_1}{\text{rel}\ p_2}$: A-*que* $_1$i ceterarum autem formae hae sunt: I 842—844 $\frac{\text{cd}}{\text{rel}_1\ \textit{atque}\ \text{rel}_2}$: A_1 neque A_2; II 338 — 341 $\frac{\text{csl.}}{\text{csct}\ [\pi]\ \text{csct}}$: A [π] A *neque* i;

III 162 — 167 $\frac{\text{tp}\ (i_1\ \textit{-que}\ i_2\ \textit{atque}\ i_3)\ \text{tp}}{\text{rel}\ i_4}$: A; IV 387 — 392 $\frac{\text{tpi}}{\text{rel}\ p}$: A_1; A_2; III 350 — 353 [π] cd_1 *atque* $\frac{\text{cd}_2\ (p)\ \text{cd}_2}{\text{rel}}$: A;

I 799—802 $\frac{\text{cd}_1\textit{-que}\ \text{cd}_2}{\text{fin}}$: A; II 544 – 546 $\frac{\text{cd}}{\text{rel}}$: A *neque* [π] i.

Sequuntur periodi quae ordiuntur ab enuntiato secundario; secundi ordinis post quod collocatum est primi ordinis enuntiatum, ut efficiatur periodi forma quae inprimis sermoni pedestri convenit. Cuius generis invenimus haec quattuor exempla: I 219—223

praeterea quaecumque vetustate amovet aetas, / si penitus peremit consumens materiem omnem, / unde animale genus generatim in lumina vitae redducit Venus . . ? etc. rel : cd p : A; II 970 — 972 fin : cd : A; V 37 — 38 rel : cd : A; V 335 — 336 tp : cd : A.

Deinde enuntiatum primarium antecedit enuntiatis secundariis quae eandem ac supra inter se habent collocationem in his tribus periodis: IV 283—284 $\frac{\text{A}}{\text{rel : csct}_1 \textit{ et } \text{csct}_2}$; VI 130—131 $\frac{\text{A}}{\text{tp : csct}}$; II 980 — 981 $\frac{\text{A}}{\text{rel } \textit{et} \text{ i : csct}}$; quam periodum adscribimus verbis: *quippe sequar, quodcumque loqui ridereque dices et sapere, ex aliis eadem haec facientibus ut sit.* Apud ceteros quos tractavimus poetas talia exempla non inveniuntur praeter unum simile apud Gallum (v 273 — 277).

Porro complura invenimus exempla ubi enuntiatum secundarium secundi ordinis insertum est enuntiato primi ordinis sed ita ut utrumque antecedat enuntiato primario ut I 420 — 423: *tum porro locus ac spatium, quod inane vocamus, si nullum foret, haut usquam sita corpora possent esse neque omnino quaquam diversa meare.* Quae periodus hoc praebet schema: cd (rel) cd : A = *neque* i; accedunt hi loci: V 225 — 229 csl (rel) csl : A; V 1074 — 1077 cd (css) cd : A; VI 679 — 682 tp_1 p (rel) p, *et* tp_2 : A_1 *ac* A_2; VI 270 — 274 tp_1 (rel) tp_1 *-que* tp_2 : A_1 et A_2; II 738 — 742 csl (rel) csl app : A p; IV 163 — 164 tp (rel) tp [cp] : A.

Denique enuntiata secundaria postposita sunt enuntiato primario in his periodis: I 507—509: *nec res ulla potest vera ratione probari corpore inane suo celare atque intus habere, si non quod cohibet, solidum constare relinquas:* $\frac{\text{A } \textit{atque} \text{ i}}{\text{cd (rel) cd}}$;

III 216—320 $\frac{\text{A}}{\text{csl (tp) csl}}$; IV 224—225 $\frac{\text{A}}{\text{csct (rel) csct}}$;

V 1328—1330 $\frac{\text{A}}{\text{csct (tp) csct } \textit{atque} \text{ i}}$; II 1—4 $\frac{\text{A}}{\textit{non} \text{ csl}_1 \textit{ sed } \text{csl}_2 \text{ (rel) csl}_2}$;

II 203—205 $\frac{\text{A (p) A}}{\text{css (rel) css}}$; I 895—897 $\frac{[\pi]\text{A}}{\text{rel (tp) rel}}$;

V 808—812 $\frac{\text{A}}{\text{csl}_1 \textit{ atque } \text{csl}_2 \text{ (rel) csl}_2}$.

Hae sunt periodi secundi ordinis quae duo tantum enuntiata secundaria exhibent. Sunt autem numero centum fere. Atque ex schematis elucet Lucretium in his periodis componendis variis usum esse structuris et saepius insolitam usurpasse col-

locationem enuntiatorum quae apud ceteros poetas rarissime vel omnino non occurrit.

10. Iam clarius poetae licentia apparebit in eis periodis tractandis quae tria vel plura enuntiata secundi et inferioris ordinis continent. Sunt autem numero centum septuaginta fere.

Atque ut incipiamus ab eis periodis in quibus tria enuntiata primi et secundi ordinis insunt, proponimus exempla ita structa ut omnia enuntiata secundaria antecedant enuntiato primario Huc pertinent hi loci: I 385—386 *quod si forte aliquis, cum corpora dissiluere,* non *putat id fieri,* quin *se condenseat aer, errat.* (corr. Skutsch; codd: *tum . . . quia*). cd (tp) cd : A;
csct

I 909—912 cd (rel) cd : A; II 225—229 cd (fin) cdi : A;
csct rel

I 515—517 cd rel₃ : A; II 487—492 tp (p_1 p_2) tp, [π] cd : A
rel_1 rel_2 int

Maxima autem pars talium periodorum eam enuntiatorum collocationem habet, ut enuntiatum primarium circumdetur secundariis, quorum altera pars illi antecedit, altera illud subsequitur.

Atque unum tantum enuntiatum secundarium praepositum est primario in periodo quae est I 174—177: *quod si de nilo fierent, subito exorerentur incerto spatio atque alienis partibus anni, quippe ubi nulla forent primordia quae genitali concilio possent arceri tempore iniquo.* Quae periodus schemate expressa hanc praebet speciem: cd : A . Cetera huiusmodi exempla haec sunt
csl
rel

IV 95—97 tp : A ; IV 165—168 cd : A ;
rel csct
csl tp

IV 838—840 tp : A[π] ; IV 555—559 csl: A ;
csct int
cd tp_1 *et* tp_2

V 287—291 rel: A ; I 21—27 csl_1 *nec* csl_2 *neque* csl_3: A ;
csct rel_1
csl_1 (p_1) csl ¹ p_2 csl_2 rel_2 (v) rel_2

II 89—94 cp : Ai ; II 47—54 cd_1 -*que* cd_2 *neque* cd_3 : A ;
rel csct
csl_1 - *que* csl_2 *et* csl_3 csl

II 391—397 css: $\frac{A}{\mathit{aut}\ csl_1\ [\pi]\ \mathit{aut}\ csl_2\ \mathit{atque}\ \frac{csl_3}{csct}}$; III 590—598 tp: $\frac{\frac{A\ \mathit{et}\ i_1\text{-}\mathit{que}\ i_2}{rel}}{tp_1\ i, tp_1\ \mathit{et}\ tp_3}$; III 885—890 cd: $\frac{A}{int(p_1)\ int\ \mathit{aut}\ p_2\ i_1\ \frac{\mathit{atque}\ i_2\text{-}\mathit{ve}}{tp}\ i_3\ p_3}$;

IV 456—460 fin: $\frac{A}{csl: int_1 \frac{}{int_2\ int_3\ \mathit{et}\ int_4}}$; V 964—968 csli : $\frac{\frac{A}{csct\ \mathit{nec}\ i}}{fin\ p}$;

III 564—570 [π] csl *nec* csl_2 : $\frac{\frac{A}{rel(p)rel}}{csl_3}$; V 796—802 $tp_1\ p_1\ p_2$: = $\frac{\frac{A_1\ \mathit{et}\ A_2}{cp(tp_2)\ cp}}{csl}$; V 1033—1036 cd: $\frac{A_1\ \mathit{et}\ A_2}{int: csct}$;

V 1191—1197 $tp_1\ \mathit{et}\ tp_2$: $\frac{\frac{A(p)A}{fin}}{rel}$; V 1223 — 1227 tp_1-*que* tp_2 : $\frac{\frac{A}{cd_1\text{-}\mathit{que}\ cd_2}}{rel}$; VI 137 — 139 int : $\frac{A}{sl(rel)\ csl(p)\ csl}$;

V 341 — 354 rel[1] : A (csl_1) A

$$\frac{\frac{A\ \mathit{nec}\ i_1}{rel_2\left[\frac{cp_1}{rel_2}\right]}\ \mathit{aut}\ i_2}{csl_2\left[\frac{cp_2}{rel_4\ \mathit{neque}\ rel_5}\right]\ \mathit{aut}\ \frac{csl_3}{rel_6\ [cp_3]}\ \mathit{neque}\ \frac{csl_4}{rel_7}\ \mathit{neque}\ \frac{csl_5}{rel_8\ \mathit{et}\ i_3}}$$

Numero paulo plura sunt exempla similis structurae in quibus enuntiato primario duo vel plura enuntiata secundaria utriusque ordinis antecedunt. Atque ut a simpliciore forma incipiamus ,adscribimus verborum circuitum qui hanc enuntiatorum collocationem praebet: rel_1 : cd : $\frac{A}{rel^2}$. I 861 — 863: *praeterea quaecumque e terra corpora crescunt si sunt in terris, terram constare necessest ex alienigenis, quae terris exoriuntur.* Cui periodo similis est altera huius structurae: rel_1 : cd : $\frac{A}{rel_2\ \mathit{que}\ i_1\ \mathit{ac}\ i_2}$. II 672 — 675.

Ceterae autem periodi varias inter se exhibent formas quarum

schemata haec sunt: I 788 — 791 csl (rel) csl : A ;
rel$_2$
fin

I 537 — 541 csli$_1$ *neque* (rel$_1$) i$_2$: A ; III 147 — 151
rel$_2$
fin

correl (tp$_1$ (p) tp$_1$) correl : A$_1$ *-que* A$_2$; II 463 — 467 fin : A ;
tp$_2$ rel tp
csct

II 651—656 cd$_1$ *et* cd$_2$: A ; I 651 — 658 csl$_1$ *et* csl$_2$, tp : A *nec*
cp fin
cd$_3$

A$_2$ (p) A$_2$ *-que* i ; III 937 — 540 cd$_1$ (rel) cd$_1$ *-que* cd$_2$: A$_1$ A$_2$;
rel [cp] rel$_1$ *et* rel$_2$
csct

V 7 — 12 cd (cp) cd : A (v) ; VI 1110 — 1115 tp$_1$ (rel) tp$_1$ *atque*
rel$_1$ rel$_2$
rel$_3$

tp$_2$ [cp$_1$ *et* rel cp$_2$] : A ; II 157 — 164 rel$_1$, tp$_1$ *nec*
csct (tp$_3$) csct

tp$_2$ (rel$_2$) tp$_2$: A [π] *et* i *-que* i$_2$; III 840 — 843 cd : A ;
rel$_3$ tp rel

VI 847 — 853 tp (p) tp : Ai ; III 867 — 872
csl$_1$ csl$_2$

tp i : A *atque* i ; I 593 — 600 csl$_1$: A$_1$ [π] A$_1$ *et* A$_2$ *nec* A$_3$ *neque* A$_4$;
aut csct *aut* csct$_2$ css rel csl$_2$ *et* csl$_3$

II 954 — 957 csl$_1$ csl$_2$: A$_1$ *et* A$_2$; IV 1007 — 1013 rel$_1$: A app ;
rel tp tp rel$_2$
csct (p) csct

IV 1081 — 1087 tp$_1$ tp$_2$ *atque* tp$_3$: A$_1$ *-que* A$_2$ *et* A$_3$; IV 327 — 330
csct csl *nec* i$_1$ *et* i$_2$

tp : A (rel$_2$) A ; V 110 — 121 tp app : A ;
rel$_1$ csct rel$_1$ p fin$_1$ *-que* fin$_2$
rel$_2$ *-que* rel$_3$ p

VI 380 — 388 cd$_1$ *et* cd$_2$: A$_1$ (rel$_2$) A$_1$ *et* A$_2$ p$_2$; III 31 — 40
rel$_1$ csct p$_1$ app

tp : A$_1$ *et* A$_2$; I 465 — 476 cd$_1$
int$_1$ int$_2$ p int$_3$ rel$_1$ p *neque* rel$_2$

$\frac{cd_2}{rel_2}$: $\frac{A_1 (p) A_1 \textit{ nec } A_2}{csct\ i_1 \textit{ neque } i_2 \textit{ } \frac{\textit{nec } i_3}{rel_2} \textit{ sed } \frac{csct_2}{rel_3}}$; III 861 — 866

csl_1 *-que* $\frac{csl_2}{rel_1}$: $A \textit{ nec } i_1\ (rel_2)\ i_1 \textit{ } \frac{\textit{neque } i_2}{int}$; II 960 — 968

$\frac{csl_1 \textit{ -que } tp_2}{tp_1 (p) tp_1}$: csl_2 : $\frac{\frac{A \textit{-que } i}{csl_3}}{rel_1 \textit{ aut } rel_2}$.

Hanc quidem periodum extremam non supersedimus verbis adscribere: *praeterea quoniam dolor est, ubi materiai corpora vi quadam per viscera viva per artus sollicitata suis trepidant in sedibus intus, inque locum quando remigrant, fit blanda voluptas, scire licet nullo primordia posse dolore temptari nullamque voluptatem capere ex se, quandoquidem non sunt ex illis principiorum corporibus quorum motus novitate laborent aut aliquem fructum capiant dulcedinis almae.*

Neque hae sunt omnes periodi qnae enuntiata primi et secundi ordinis continent, sed addenda sunt ea exempla in quibus altera pars enuntiatorum secundariorum interposita est enuntiato primario altera autem ei postposita. Huc spectant hi loci: I 259 — 264 *nunc age, res quoniam docui non posse creari de nilo neque item genitas ad nil revocari, / ne qua forte tamen coeptes diffidere dictis, / quod nequeunt oculis rerum primordia cerni, / accipe praeterea quae corpora tute necessest confiteare esse in rebus nec posse videri.* $A \left(tp \textit{ neque } \frac{i,\ fin}{csl} \right) \frac{A}{rel \textit{ nec } i}$; IV 848 — 850 $A \left(\frac{tp}{csct} \right) \frac{A}{rel (app) rel}$; IV 789 — 791 $A\ (tp (rel) tp)\ A \textit{ atque } i_1 \frac{\textit{nec } i_2}{csct}$; IV 312 — 314 $A (rel_1) \frac{\frac{A}{csl}}{rel_2}$; II 827 — 830 $A (tp_1) \frac{\frac{A}{csct}}{tp_2}$; II 895 — 898 $A (tp) \frac{A}{cslp}$; II 313 — 316 $A (csl_1) \frac{A}{csl_2 (rel) csl_2}$; V 122 — 125 $A_1 \textit{ -que } A_2 (rel) \frac{\frac{A_2}{csct}}{int}$; II 765 — 768 $A (rel : tp_1 \textit{ et } tp_2 \textit{ et } tp_3) \frac{A}{csct}$; II 785 — 788 $A \left(\frac{rel}{fin} \right) \frac{A}{csl_1 \textit{ nec } csl_2 (rel) csl_2}$; IV 320 — 325 $A (rel) \frac{A}{csl (tp) \frac{csl}{rel_2 \textit{ ac } rel_3}}$; VI 328 — 335

A_1 A_2 A_3 p, *deinde* A_4 (csl) A_4 *et* A_5 ; III 121 —
csct$_1$ (rel) csct$_1$ -*que* csct$_2$
127 A_1 (tp$_1$ -*que* tp$_2$) A_1 *atque* A_2 ; I 1071 — 1074
csct *neque* i$_1$ *sed* i$_2$ (rel) i$_2$
fin

A_1 *nec* A_2 (rel) A_2 ; IV 813 — 816
rel$_1$ (tp) p rel$_1$ csct (rel$_3$ csct

A (rel$_1$) A ; IV 294 — 300
csl *sed* csl$_2$ (rel$_2$) csl$_2$
fin

A (rel p) A ; IV 409 - 421
aut csl$_1$ p *aut* csl$_2$ (tp) csl$_2$
csl$_2$

A_1 *nec* A_2 (rel$_1$) A_2 *sed* A_3 (csl (p) csl-*que* i$_1$ *atque* i$_2$) A_3
rel$_2$ csct (p) csct

VI 651 — 657 A_1 A_2 A_3 A_4 p (rel$_1$) A_4 ;
[π] csl$_1$ *et* csl$_2$
rel$_2$

Hoc loco afferendum censemus esse verborum circuitum ita compositum, ut enuntiatum primarium includatur partibus secundarii, cuius pars prior infinitivo aucta exordium facit periodi IV 383 — 385: *atria versari et circumcursare columnae usque adeo fit uti pueris videantur, ubi ipsi desierunt verti, vix ut iam credere possint non supra sese ruere omnia tecta minari.* Quam periodum expressimus hoc schemate: i *et* csct$_1$ (A) csct$_1$. Exemplum si-
tp, csct$_2$
milis structurae invenitur apud solum Gallum (Cir. 243 — 244). Neque dubium videtur esse quin poetae difficultatibus metricis coacti insolitam periodi structuram admiserint.

Denique tractandae sunt reliquae periodi eiusdem ordinis quae quidem ordiuntur ab enuntiato primario cui omnia enuntiata secnndaria subiuncta sunt vario modo. Huc pertinent haec exempla: II 308 — 311 *illud in his rebus non est mirabile, quare, omnia cum rerum primordia sint in motu, summa tamen summa videatur stare quiete, praeter quam si quid proprie dat corpore motus.* A ; IV 749 — 752 A ; VI 820 — 822
int (css) int rel (tp) rel
cd cp cd

A ; VI 823 — 825 A ; II 614 — 617
csct (tp) csct csct$_1$ (rel) csct$_1$
csl csct$_2$

A ; IV 301 — 306 i A ; IV 111 — 116
csl (rel$_1$ *et* rel$_2$) csl   csl$_1$ (rel) csl$_1$
rel$_3$ csl$_2$ p

A ; VI 247 — 251 A ; IV 578 — 581
rel$_1$ (css) rel$_1$ *nec* rel$_2$ csl
csct   csct *et* i, tp

[π] A ; V 76 — 78 A ; III 208 — 214
int (rel) int [cp]   int
[π] csl$_1$ csl$_2$ fin$_1$ p, *-ve* fin$_2$

A ; II 1040 — 1043 A ;
int$_1$ *-que* int$_2$, csl (tp$_1$ *atque* tp$_2$) csl   csl : int
cd   rel$_1$ *atque* rel$_2$

III 344 — 349 A ; IV 935 — 936 A ;
csct$_1$ csct$_2$ (csl) csct$_2$ csl (rel) csl (tp) csl

IV 2—9 A *atque* i$_1$ *-que* A$_2$ *-que* i$_2$; IV 90—94 A ;
rel   csl$_1$ (tp p) csl$_1$ *nec* csl$_2$
primum csl$_1$ *et* csl$_2$ *deinde* csl$_3$ p   rel

V 638 — 642 A ; IV 893 — 896 A ;
aut tp$_1$ *atque* tp$_2$ p *aut* csl   fin$_1$ *-que* fin$_2$
rel   rel tp$_1$ *neque* tp$_2$

IV 1039 — 1042 p A ;
csl$_1$ [π] (tp$_1$ *atque* tp$_2$) csl$_1$ *et* csl$_2$ *neque* csl$_3$
rel

II 334 — 443 A [π] A ; II 727—
vel tp$_1$ *vel* tp$_2$ *aut* tp$_3$ *aut* tp$_4$ *-que* tp$_5$ (p) tp$_6$
rel   cp-cd

733 A (p) A ;
fin$_1$ *aut* i (rel$_2$) i *-ve* fin$_2$ (rel$_3$) fin$_2$
rel$_1$ csl

11. Pervenimus iam ad eas periodos quae unum alterumve enuntiatum etiam tertii ordinis exhibent.

Atque ut eadem ac supra ratione progrediamur primum afferimus schemata trium periodorum in quibus omnia enuntiata secundaria praeposita sunt enuntiato primario, quod extremum tenet locum: csl$_1$ *et* csl$_2$ (int$_1$ int$_2$) csl$_2$ *nec* csl$_3$: A I 578 — 586;
csct$_1$
csct$_2$

csl$_1$ (tp$_1$) csl$_1$ *nec* csl$_2$: A *sed* i ; V 816—822; rel$_1$ csl (rel$_2$ / tp$_1$ tp$_2$) csl : A
tp$_2$ rel : int$_1$ *verum* int$_2$ rel$_3$

V 574 — 580: *postremo quoscumque vides hinc aetheris ignes, / quan-*

doquidem quoscumque in terris cernimus ignes, | dum tremor est clarus, dum cernitur ardor eorum, | perparvom quiddam interdum mutare videntur alteram utram in partem filum, quo longius absunt, scire licet perquam pauxillo saepe minores esse vel exigua maioris parte brevique.

Sequuntur quinque verborum ambitus in quibus unum enuntiatum secundarium antecedit primario, cum cetera huic subiuncta sint: I 458 — 462: *denique Tyndaridem raptam belloque subactas Troiugenas gentis cum dicunt esse, videndumst ne forte haec per se cogant nos esse fateri, quando ea saecla hominum, quorum haec eventa fuerunt, inrevocabilis abstulerit iam praeterita aetas.* Quae periodus hanc habet formam: i -*que* tp : A . Ceterarum autem

A
fin
csl (rel) csl

schemata haec sunt: I 492 — 496 csl : A ; I 622 — 628

A
tp i
rel₁ rel₂
rel₃

cd : A ;

A
csl (rel₁) csl
rel₂ app
rel₃

IV 1055 — 1059 rel₁ : A₁ -*que* A₂ *et* A₃ -*que* A₄ ;

A₁ -*que* A₂ *et* A₃ -*que* A₄
csl₁ *et* csl₂
rel₂
rel₃ rel₄

III 152 — 160 tp : A₁ *que* i₁ *et* i₂ *que* i₃ i₄ i₅ i₆ *denique* A₂ .

A₁ *que* i₁ *et* i₂ *que* i₃ i₄ i₅ i₆ *denique* A₂
csct i₇
rel (tp) rel

In duabus autem periodis omnia enuntiata secundaria interposita sunt enuntiato primario; I 215 — 218: *quo nunc, aeterno quia constant semine quaeque, donec vis obiit, quae res diverberet ictu aut intus penetret per inania dissoluatque, nullius exitium patitur natura videri.* A (csl / tp / rel₁ *aut* rel₂) A; IV 839 — 842

A (int₁ *et* int₂ / csct₁ -*que* csct₂ / tp) A; B.

Maior autem pars exemplorum huius generis ita structa est, ut enuntiatum primarium circumdetur enuntiatis secundariis quorum altera illi antecedunt altera autem postposita sunt. Huc referendae sunt hae periodorum formae:

V 858 — 864 *at quis nil horum tribuit natura, nec ipsa sponte sua possent ut vivere nec dare nobis utilitatem aliquam, quare*

pateremur eorum praesidio nostro pasci genus esseque tutum, scilicet, haec aliis praedae lucroque iacebant indupedita suis fatalibus omnia vinclis, donec ad interitum genus id natura redegit,

rel_1 : [π] A ; II 552—564 correl (p) correl : A (cd) A ;
nec fin *nec* i^1 tp — fin_1 *et* fin_2 fin_3 fin_4 — csct *nec* i_1 *nec* i_2
rel_2 *-que* i_2

V 82 — 90 rel_1 : cd : A_1 *et* A_2 ; II 251 — 260
int_1 — rel_3
rel_2 — int_2 int_3 int_4

cd_1 *et* cd_2 *nec* cd_3 : A [π] A ; V 759 — 769
rel_1 — rel_2 — rel_4
fin — rel_3 — *sed* rel_5

[π] tp_1 (int_1) tp_1 : A ; II 844 — 857
csct : int_2 int_3 (p) int_3 *et* i — int_4 *et* int_5
tp_2 *et* tp_3

cp (tp (rel_1) tp) cp [rel_2] cp : A (csl) A etc.
rel_3 — rel_4
fin (p) fin — css app_1 app_2 app_3

Quibus periodis accedunt aliae tres quae quidem ordiuntur ab enuntiato primario cui unum aut complura enuntiata secundaria inserta sunt, cum alia ei postposita sint. Quae periodi has praebent formas: VI 1013—1018 A_1 (int) A_1 *-que* A_2 ;
csl (tp_1 *-que* tp_2) csl
csct (rel) csct

VI 733 — 739 A (rel) A ;
csl_1
csl_2 (tp p_1) p_2 csl_2 *-que* csl_3 (p_2) csl_3 (cd_1) csl_3
cd_2

II 629 — 638 A (rel_1 / csl_1 *-que* csl_2 p) A .
rel_2
tp
fin_1 p *-que* fin_2

Reliquae sunt triginta periodi eiusdem generis in quibus omnia enuntiata secundaria subiuncta sunt enuntiato primario quod illis praepositum est.

Atque simplicissima talis periodi forma efficitur, cum omnia enuntiata secundaria ordine aliud post aliud collocata sunt ut V 592 — 595: *est etiam quoque uti non magno solis ab igni aera*

percipiat calidis fervoribus ardor, / opportunus ita est si forte et idoneus aer, / ut queat accendi parvis ardoribus ictus. (s = v).

A
—
$csct_1$
—
cd
—
$csct_2$ p ;

II 496—500
A
—
csct
—
fin
—
rel ;

I 406—411
A
—
csct
—
fin_1 *et* fin_2
—
tp ;

IV 315—319
A
—
rel_1
—
csl_1 *-que* csl_2
—
rel_2 ;

IV 1194—1198
A
—
$csct_1$ *et* $csct_2$
—
csl (p) csl
—
rel p ;

II 1073—1075
A
—
$csct_1$
—
rel_1 *et* rel_2
—
$csct_2$ *-que* $csct_3$

etc.

Ceterae periodi eiusdem generis magis complicatae sunt, sive quod nonnullis enuntiatis auctae sunt, sive quod unum alterumve enuntiatum alteri interpositum est. Atque ut aliquod exemplum etiam verbis adscribamus, afferimus periodum quae est VI 315—318 *nec temere omnino plane vis frigida venti esse potest, ea quae tanta vi missa supernest, quin, prius in cursu si non accenditur igni, at tepefacta tamen veniat commixta calore:*

A
—
rel
—
csct (cd) csct p ;

I 168—173
A
—
cd
—
tp (csl) (tp) csl
—
rel, tp_1 *et* tp_2 ;

IV 239—241
A
—
int (rel / css) int ;

I 566—570
A
—
cst (css) cst
—
rel app, int_1 *et* int_2
—
csl ;

I 747—750
A
—
csl : csct *-que* p i
—
rel ;

VI 143—147
A
—
tp_1 : csct, cp
—
cd tp_2

; animadvertas in his duabus periodis enuntiata secundi et tertii ordinis insolito more antecedere enuntiato primi ordinis. IV 214—218

A
—
rel
—
csl (tp) csl (p) csl ;

IV 613—615
A
—
int
—
cd (rel) cd et i ;

IV 563—572
A_1 *et* A_2
—
rel_1 *-que* i_1 *et* i_2
—
rel_2 p tp(p)tp
—
fin ;

V 1043 — 1048 A ; VI 452 — 457 A ;

cd (rel) cd — csct. (correl) csct p

csl_1 csl_2 — csl (tp_1 tp_2) csl

tp_1 *et* tp_2

V 461 — 467 A ; I 121—129

rel_1 rel_2

csl_1 *nec* csl_2 *et* csl_3

$csct_1$ $csct_2$ $csct_3$ *et* $csct_4$

A_1 *tum* A_2 (int_3) A_2 etc.

int_1 *et* int_2 — int_4 p_1-*que* p_2

csct *et* i

rel

Hae sunt periodi omnes quae enuntiata tertii ordinis exhibent. Sunt autem numero undequinquaginta. Atque ex eorum schematis cognosci potest Lucretium in his periodis componendis saepe structuras valde complicatas adhibuisse et enuntiata interdum insolito more distribuisse.

12. Periodos in quibus etiam quarti ordinis enuntiata continentur in universum dici potest simpliciore plerumque esse structura quam periodos tertii ordinis. Illae autem sunt numero duodeviginti et has praebent formas: I 772 — 775 *at primordia gignundis in rebus oportet naturam claudestinam caecamque adhibere, emineat ne quid, quod contra pugnet et obstet, quominus esse queat proprie quodcumque creatur.* A ; VI 899—902 [π] A;

fin_1 — int

rel_1 — csct

fin_2 — rel

rel_2 — csl

VI 1114 — 1118 A ; IV 445 — 440 A ;

csct — rel_1 [π]

cp p — csl

rel_1 -*que* rel_2 — rel_2 cst

tp — rel_3

IV 739 — 743 A (tp) A ; VI 162 — 164 csct (A) csct.

cd, csl — tp

rel, tp — csl

csct — rel

rel (p) rel

Hanc quidem periodum extremam videlicet ordiri ab enuntiato secundario quod partibus suis circumcludit enuntiatum primarium.

Ceterae periodi structuras paulo magis complicatas vel auctas exhibent; quarum formae hae sunt: I 193—198 A ;

csct et i_1 *-que* i_2 cd

csl

rel_1

rel_2

II 67 — 73 A ; IV 1107—1116

csl_1 *et* csl_2 *-que* i

css

csl_3 (rel_1), rel_2 : csl_3, rel_3 : csl_4

A (app) A ; V 177 — 184

csl_1

rel

aut tp_1 *-que* i *aut* csl_2 *aut* csl_3 *-que* csl_4

rel

A(p) A*-que* i_1 *atque* i_2 ; V 868—876 A *et* i_1 *et* i_2 ;

rel_1 — tp_1

csct — *aut* csl_1 (p) csl_1 *et* csl_2 *et* csl_3(rel_1)csl_3 p

cd_1 *et* cd_2 — tp_2

rel_2 p — rel_2

IV 275—282 A(rel) A ; III 578 — 589

$csct_1$

csl_1 (p tp_1) csl_1 *sed* csl_2

cp_1 -cd (tp_2) cp_1 *atque* cp_2 (cd) cp_2

csl_1 : A ; II 754—764 cd_1 *et* cd_2 : A ;

$csct_1$ $csct_2$ (p)$csct_2$ *atque* $csct_3$ — rel_1 *-que* rel_2 — int_3 (rel_3) int_3

csl_2 p(rel) csl_2 — csl — cp (tp) cp

$csct_4$ *et* i — int_1 *et* int_2

cp

13. Duos porro invenimus verborum ambitus in quibus singula enuntiata secundaria quinti ordinis insunt.

IV 695 — 703: *ita continuo meminere fugai, nimirum, quia sunt gallorum in corpore quaedam semina, quae cum sunt oculis inmissa leonum, pupillas interfodiunt acremque dolorem praebent, ut*

nequeant contra durare feroces; cum tamen haec nostras acies nil laedere possint, aut quia non penetrant, aut quod penetrantibus illis exitus ex oculis liber datur, in remorando laedere ne possint ex ulla lumina parte. Quae periodus schemate expressa hanc praebet speciem:

A

[π]csl_1

rel_1 (tp) rel_1 *-que* rel_2

$csct$, css

aut csl_2 *aut* csl_3

fin

; cui accedit alterum exemplum quod viginti versus amplectitur et sic est compositum:

V 55 — 75

p tp_1 *ac* tp_2 : [π] A

rel_1 : int_1 *nec* int_2 csct

rel_2 *nec* i_1 *sed* i_2 et int_1 *tum* int_2 *et* int_3 *-ve* int_4 (p) int_4 *et* int_5

tp_3 rel_4

rel_3

14. Denique ex Lucretii libris duas quoque proponere possumus periodos quae singula enuntiata sexti ordinis exhibent. Sed haec exempla quia sunt nimis distenta supersedimus verbis adscribere; sufficiat eorum schemata adponere.

V 1107 — 1117

A

fin_1 *et* fin_2

[π_1] csl_1 (p) csl_1 *et* csl_2 [π_2] csl_2

csl_3 [π_3] csl_3

rel

csct

cp *et* i

I 728 — 746 A_1 (rel_1 css_1 (p) css_1 / rel_2) A_1

et A_2

primum csl_1 (p) csl_1 *et* csl_2 app *nec tamen* csl_3 *deinde* csl_4 *neque* i_1 *nec* i_2

css_2

rel_3

csct (rel_4 / csl_5) csct

Hae sunt omnes periodorum formae quae in Lucretii libris inveniuntur. Neque quemquam fugere potest poetam variam nec raro insolitam collocationem enuntiatorum sibi concessisse et

periodos saepe participiis infinitivis aliis additamentis auxisse ita ut interdum difficile sit primo obtutu earum structuram perspicere. Atque id quoque statuendum est Lucretium periodos valde distentas et complicatas struxisse. Neque enim raro occurrunt verborum circuitus qui decem vel quattuordecim vel viginti versus compleant et saepius enuntiata tertii et quarti nonnunquam etiam quinti et sexti ordinis exhibeat. Quo fieri ut illa orationis perspicuitas quae apud alios poetas inprimis apud Vergilium laudanda est, laedatur, facile intellegitur.

Restat ut nonnulla adiungamus de Lucretii parataxis usu.

Si quis in Lucretii in periodis componendis rationem diligenter inquisiverit, non mirabitur quod poeta rarissime copulationem mere paratacticam usurpavit. Neque enim res gestas narrat aut fabulas ut poetae epici, sed diligenter exponere vult qua ratione et quibus de causis aliae res ex aliis gignantur, aliae pereant, aliae in perpetuum durent. Sed quamvis non desint loci ubi parataxis inveniatur et quamvis poeta in libro sexto in describenda peste, quae Athenis saeviebat (VI 1129 sqq.), magna ex parte oratione concitata usus sit, tamen raro occurrunt loci ubi tria vel plura enuntiata inter se coordinata reperiuntur, cum apud Vergilium haud raro in quadraginta aut pluribus versibus ne una quidem inveniatur periodus.

Sed haec hactenus de periodorum structura apud Lucretium

IV.

Iam nos convertamus ad Catulli carmen LXIV quod ordine proximum est ad perscrutandum. Atque ut eundem ac supra ordinem persequamur initium faciemus a conexione relativa.

1. Quae sint enuntiatorum relativorum genera iam supra satis expositum est. Quod ad haec enuntiata in Catulli epyllio adhibita pertinet, in eis non tam varia genera inveniuntur quam apud Lucretium.

Enuntiatum relativum quod aliquid attribuit ad nomen antecedens, ut iam supra ostendimus, aut insertum enuntiato primario aut in eius fine collocatum esse debet, quia ad nomen ex quo pendet quam artissime se alligare solet.

Atque enuntiatum relativum interpositum est enuntiato primario his locis: v 95 *sancte puer, curis hominum qui gaudia misces, . . . qualibus incensam iactasti(s) mente puellam* etc. v 24. v 192. v 207. v 326.

In fine enuntiati primarii positum est enuntiatum relativum in his periodis: v 29 *tene suam Thetis concessit ducere neptem / Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem?* (s = v). v 260. v 286. v 317. v 322. v 357.

Vno autem loco nomen substantivum ad quod enuntiatum relativum pertinet, insolito more in fine periodi locum obtinet: v 325 *accipe, quod laeta tibi pandunt luce sorores, veridicum oraclum.* Atque singula eiusmodi exempla apud Lucretium et Gallum quoque exstant.

Deinde enuntiatum relativum in fine primarii sequitur, si explicat id quod antecedit ut v 195 *huc huc adventate, meas audite querellas, / quas ego, vae, misera extremis proferre medullis cogor inops* etc. (s = v). cf. v 294.

Denique duobus locis enuntiatum relativum, quoniam in eo quoddam consilium inest, ad enuntiatum primarium se adiungit. v 330 et v 161: *at tamen in vestras potuisti ducere sedes, / quae tibi iocundo famularer serva labore* etc. (s = v).

Rarae in Catulli carmine LXIV sunt periodi in quibus enuntiatum relativum introducitur per pronomen indefinitum aut generale.

Atque unum tantum exstat exemplum quod a tali enuntiato orditur v 280: *nam quoscumque ferunt campi, quos Thessala magnis montibus ora creat, quos propter fluminis undas aura parit flores . . ., hos . . . tulit* etc.

Alia autem ratione tale enuntiatum relativum usurpatum est in periodo quae est v 43: *ipsius at sedes, quacumque opulenta recessit regia, fulgenti splendet auro atque argento.* Hoc enim loco enuntiatum relativum interpositum est enuntiato primario ideo, quod poeta ad novam rem describendam transgressus, quae quidem eis quae antecedunt opposita est, caput rei in exordio descriptionis posuit.

Atque uno loco enuntiatum relativum in fine primarii sequitur ea de causa, quod antecedit interrogatio v 154 sqq.: *quaenam te genuit sola sub rupe leaena . . . ., / talia qui reddis pro dulci praemia vita?* (s = v).

Denique narrationi aut descriptioni producendae inservit enuntiatum relativum id, quod loco parataxis usurpatum est. v 338: *nascetur vobis expers terroris Achilles, / hostibus haud tergo, sed forti pectore notus, / qui persaepe vago victor certamine cursus flammea praevertet celeris vestigia cervae* (s = v). cf. v 47. v 66. v 180. v 182. v 359.

Ex his exemplis apparet Catullum conexionem relativam consueto more adhibuisse et semel tantum ab eo recessisse, neque hoc sine consilio.

2. Itaque iam aggrediamur ad enuntiata temporalia tractanda. Quorum numerus quandoquidem parvus est, in eo non tam varia genera reperiuntur quam apud Lucretium.

Periodus orditur ab enuntiato temporali quod inducitur per particulam *postquam* his quattuor locis: v 202. v 303. v 397. — v 267: *quae postquam cupide spectando Thessala pubes expleta est, sanctis coepit decedere divis.*

Quibus exemplis notione prope accedunt enuntiata inchoata a particulis *simul* et *simul ac* in his periodis: v 12 *quae simul ac rostro ventosum proscidit aequor / tortaque remigio spumis incanduit unda, / emersere freti candenti e gurgite vultus* etc. (s = v). v 31. v 86. v 147. v 237. v 366.

Ea enuntiata temporalia quae inchoantur a particula *cum* postposita sunt primario, cum idem significant tempus atque id quod est in enuntiato primario. Huc pertinent hi loci: v 4. v 101. v 343. v 350. v 363. — v 390: *saepe vagus Liber Parnasi vertice summo Thyiadas . . . egit, / cum Delphi tota certatim ex urbe ruentes acciperent laeti divum fumantibus aris* (s = v).

Duobus locis enuntiatum secundarium interpositum est primario, quia se adiungit ad temporis notitiam *(olim - saepe)*, cui accuratius denotandae inservit: v 212 *namque ferunt olim, castae cum moenia divae linquentem gnatum ventis concrederet Aegeus, / talia complexum iuveni mandata dedisse* (s = v). cf. v 387.

Vnum invenimus enuntiatum temporale inchoatum a particula *dum* quod in exordio periodi locum obtinet: v 145 *quis dum aliquid cupiens animus praegestit apisci, / nil metuunt iurare nihil promittere parcunt* (s = v).

Reliquae sunt duae periodi in quibus enuntiatum secundarium introducitur per particulam *priusquam;* v 91 et v 189 *nec prius a fesso secedent corpore sensus, / quam iustam a divis exposcam prodita multam* etc. (s = v). More ceterorum poetarum Catullus particulae *priusquam* partem priorem in enuntiato primario posuit.

Quibus expositis transeamus ad cetera periodorum simplicium genera, quarum numerus scilicet parvus est.

3. Tres modo in carmine LXIV inveniuntur enuntiationes causales. Atque uno loco enuntiatum causale antecedit enuntiato primario, cui praeparando inservit: v 198 *quae quoniam verae nascuntur pectore ab imo, / vos nolite pati nostrum vanescere luctum* (s = v).

Invocatio autem antecedit enuntiato causali hoc loco: v 215 *gnate mihi longe iocundior unice vita, / . . . quandoquidem fortuna mea ac tua fervida virtus eripit invito mihi te . . . / non ego te gaudens laetanti pectore mittam* etc. (s = v).

Denique in una periodo enuntiatum causale additum est enuntiato condicionali ita ut praepositum sit enuntiato primario: v 158 sqq.

4. Pervenimus ad enuntiata finalia quae aliquod consilium exprimunt et eapropter in fine enuntiati primarii collocari solent; sic v 137: *tibi nulla fuit clementia praesto / inmite ut nostri vellet miserescere pectus?* (s = v). cf. v 113. v 231. v 292 etc.

Duobus autem locis (v 230 et v 402) enuntiatum finale, quod quidem ex alio pendet enuntiato secundario, antecedit enuntiato primario.

5. Enuntiata condicionalia duo tantum exstant in Catulli epyllio (v 158 et v 228); atque in utraque periodo enuntiatum condicionale rite excipitur enuntiato primario.

Denique quod in toto carmine LXIV neque ullum occurrit enuntiatum concessivum neque ullum consecutivum, non tam mirum videbitur, ubi respexerimus in toto Catulli libello non plus quam quattuordecim enuntiata concessiva et totidem fere consecutiva inveniri.

Quod attinet ad structuram periodorum simplicium nihil commemorandum est praeterquam quod poeta eas interdum participiis et vocativis et infinitivis auxit. Exempli causa affero hos locos: v 112—114 $\frac{\text{A } p_1}{\text{fin } (p_2) \text{ fin}}$; v 1 – 7 $\frac{\text{A}}{\text{tp app } (p_1) \text{ tp } p_2}$;

v 323 — 326 $v_1\ v_2\ v_3$ A (rel) A; v 328 — 332 $\frac{A_1\ (p)\ A_1;\ A_2}{\text{rel}_1\ \textit{-que}\ \text{rel}_2\ \ p_2}$;

v 60 — 67 A_1 [π] A_1 et $\frac{A_2\ p_1\ p_2\ p_3}{\text{rel } (p_4) \text{ rel}}$; v 390 — 393 $\frac{A\ (p_1)\ A}{\text{tp } (p_2) \text{ tp}}$;

v 124 — 130 A (p_1) A *ac* $\frac{i_1}{\text{rel}}$ *tum* i_2 p_2 *atque* i_3 p_3.

6. Iam tractandae sunt eae periodi quae duo aut plura enuntiata secundaria inter se diversa exhibent. Quarum numerus aeque parvus est, quod poeta, ut quidem in ratione concitata decet, largiter parataxi usus est.

Atque ex eis periodis quae duo enuntiata inter se coordinata exhibent maior pars ita structa est, aut ut alterum enuntiatum secundarium antecedat primario, alterum huic postpositum sit, aut ut singula enuntiata secundaria inserta sint primario. Exempli gratia adscripsimus v 202 — 206: *has postquam maesto profudit pectore voces / supplicium saevis exposcens anxia factis, / annuit invicto caelestum numine rector, / quo nutu tellus atque horrida contremuerunt aequora concussitque micantia sidera mundus* (s = v). Quam periodum expressimus hoc schemate: tp p : $\frac{\text{A}}{\text{rel}_1\ \textit{-que}\ \text{rel}_2}$;

ceterae autem periodi sic conformatae sunt: v 303 — 306 $tp_1 : \frac{A}{tp_2\ (p)\ tp_2}$; v 366 — 370 $tp : \frac{A}{rel\ (p_1)\ rel\ (p_2)\ rel}$; v 280 — 284 $rel_1\ rel_2\ rel_3 : A\ A\ (p)\ A$; v 198 — 201 $csl : A_1; A_2\ (correl)\ A_2\ (v)\ A_2$; v 52 — 57 $p_1\ A_1\ p_2 ; \frac{A_2\ (rel)\ A_2}{csl\ (p)\ csl}$; v 241 — 245 $A\ (tp_1\ p_1, tp_2)\ A\ p_2$: *at pater, ut summa prospectum ex arce petebat | anxia in assiduos absumens lumina fletus, | cum primum infecti conspexit lintea veli, | praecipitem sese scopulorum e vertice iecit | amissum credens inmiti Thesea fato* ($s = v$).

Quibus exemplis accedunt quinque alia, in quibus singula enuntiata secundi ordinis insunt. Ex hoc numero sufficiat verbis adscripsisse periodum quae est v 71 — 75: *a misera, assiduis quam luctibus externavit spinosas Erycina serens in pectore curas illa tempestate, ferox quo tempore Theseus egressus curvis e litoribus Piraei attigit iniusti regis Gortynia tecta.* $\frac{A}{\frac{rel\ p_1}{tp\ (p_2)\ tp}}$; v 357 — 360 $\frac{A}{\frac{rel_1}{rel_2\ (p)\ rel_2}}$; v 379 — 401 tp_1 *-que* $tp_2, tp_3\ tp_4\ \frac{tp_5}{fin}\ tp_6\ (p_1)\ tp_6\ A\ (p_2)\ A$; v 158 — 163 $\frac{cd}{csl} : \frac{A}{fin\ p_1\ \textit{-ve}\ p_2}$; v 215 — 227 $v_1\ \frac{v_2}{rel_1}\ v_3\ \frac{csl}{rel_2}$: *non* A_1 *nec* A_2 *sed* $\frac{A_3\ p\ \textit{inde}\ A_4}{cp}$.

Restat ut duas proponamus periodos quae singula enuntiata secundaria tertii et quarti ordinis exhibent. Atque alterius periodi structura haec est: $\frac{tp_1}{\frac{rel\ (p)\ rel}{cp_1\ \textit{-ve}\ cp_2}} : \frac{A}{tp_2\ \textit{atque}\ tp_3}$ v 86 — 93; *hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo regia, quam suavis exspirans castus odores lectulus in molli complexu matris alebat, | quales Eurotae progignunt flumina myrtos | aurave distinctos educit verna colores, | non prius ex illo flagrantia declinavit lumina, quam cuncto concepit corpore flammam funditus atque imis exarsit tota medullis.* Alteram autem periodum quae omnium est maxime complicata hoc expressimus schemate:

$$\frac{cd}{rel_1, fin_1} : \frac{A}{\frac{fin_2\ (p)\ fin_2\ \textit{nec}\ fin_3}{\frac{fin_4\ (tp_1)\ fin_4\ \textit{-que}\ fin_5}{\frac{p\ fin_6}{tp_2}}}}\quad \text{v 228 — 237.}$$

Vidimus ergo Catullum in carmine LXIV non multas struxisse periodos compositas et singulas tantum exstare in quibus enuntiata tertii et quarti ordinis insint. Ceterae autem periodi plerumque sunt simplices praeterquam quod saepius participiis aut vocativis auctae sunt.

Complures autem invenimus locos ubi complura enuntiata primaria coacervata sint, sed ita ut singula intercurrant aut se alligent enuntiata secundaria ut v 311 — 317; v 256 — 264; v 124 — 131.

Singularem speciem praebet verborum tractus qui est v 269 — 277, ubi poeta parataxin cum hypotaxi ita commiscuit ut nulla efficiatur periodi structura. Atque ex his quidem versibus cognosci potest Catullum pariter atque Ennium et Vergilium in describendis rebus quae celeriter altera alteram subsequuntur, magis ad coordinationem quam ad subordinationem sententiarum inclinasse. Neque nos fugit poetam saepius compositione dissoluta usum esse ut quidem docent hi loci: v 19 — 21. v 25 — 37. v 38 — 42. v 133 — 138. v 139 — 142. v 184 — 187. Vnum invenimus verborum tractum in quo octo enuntiata primaria aliud ad aliud apposita uno tantum enuntiato secundario interrupta sunt v 256 — 264. Ex quibus novem enuntiatis singula singulos efficiunt versus. Atque ex signo (s = v), quod omnibus locis apposuimus ubi singula enuntiata per singulos extenduntur versus, apparet Catullum tali periodorum structurae magis operam dedisse quam ceteros poetas.

Iamque si quaerimus cur numerus periodorum in Catulli epyllio tam parvus sit, nobis respiciendum est poetam in describendo Pelei stragulo, quod 'mira arte priscis figuris variatum' erat, eas personas, quarum fabula in stragulo imaginibus expressa erat, tamquam agentes et loquentes nobis ob oculos posuisse.

Haec satis sunto de periodorum compositione in Catulli carmine LXIV.

V.

Qua re progrediamur ad Galli carmen quod inscribitur Ciris.

Neque quemquam in perlegendo hoc carmine fallit poetam compluribus in rebus prope accedere ad Catulli componendi rationem inprimis quod attinet ad periodorum structuram ad vocabula collocanda ad participiorum usum. Sed una re Gallus inter omnes poetas eminet scilicet ea, quod in quavis fere periodo singula aut complura enuntiata per parenthesin interposuit et quod unam periodum composuit quae viginti quinque versus complet.

1. Quibus praemissis ad ipsum propositum aggrediamur inquirentes quo modo enuntiatorum relativorum usus in Ciri se habeat.

Enuntiata relativa attributiva quae vocantur interposita sunt enuntiato primario his locis: v 133 *sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater iratum potuit, quem nec pater atque avus idem Iuppiter . . . idem tum tristis acuebat parvulus iras.* v 158. v 191. v 195. v 268. v 839. v 394. v 445.

Insolitum autem locum tenet enuntiatum relativum in hac periodo: v 110 *hanc urbem ante alios qui tum florebat in armis fecerat infestam populator remige Minos.* Videlicet enuntiatum relativum antecedere nomini ad quod pertinet, cum alias ei postpositum esse soleat. Sed hoc loco poetam id spectavisse ut nomen regens, in quo maxima vis sita est, in fine periodi poneret, satis elucet. Reminisceris singula exempla similis structurae apud Lucretium (IV 598) et Catullum quoque (v 325) exstare.

Enuntiatum relativum sequitur in fine enuntiati primarii aut quod nomen, ex quo relativum pendet, in exitu enuntiati primarii positum est ut v 32 . . . *additur aurata delectus cuspide Typho, / qui prius Ossaeis consternens aethera saxis Emathio celsum duplicarat vertice Olympum* (s = v) (cf. v 164. v 126. v 131. v. 360), aut quia enuntiatum primarium caput rei continet quae in enuntiato relativo explicatur ut v 262: *nil amat hic animus, nutrix, quod oportet amari, in quo falsa tamen lateat pietatis imago.* cf. v 412.

Denique enuntiatum relativum loco parataxis usurpatum est v 101: *sunt Pandioniis vicinae sedibus urbes . . . quarum non ulli fama concedere digna stat Megara.* Hoc enim loco enuntiatum relativum nihil attribuit ad nomen antecedens, sed novam rem inducit.

Ea enuntiata relativa, indefinita et generalia quae vocantur, enuntiato primario antecedere solent. Atque ex Ciri huc spectant haec exempla: v 89 *quidquid et ut quisque est de tali clade locutus, / iam Nisi*[1]) *potius liceat notescere cirin* etc. (s = v). v 92. v 216. v 438. v 540. Quibus exemplis proxime accedit aliud in quo enuntiato relativo praeposita est particula v 499: *tum qua se medium capitis discrimen agebat, / ecce repente . . . puniceam concussit apex in vertice cristam.* (s = v).

Sin autem enuntiatum primarium continet invitationem aut exclamationem, antecedere solet enuntiato relativo. Cuius structurae invenimus duas periodos; v 202: *vos, o pulcherrima quondam corpora, caeruleas praevertite in aethere nubes, qua novus ad*

1) ex coniect. Leonis; codex optimus: omnia sim.

superum sedes haliaeetos et qua candida concessos ascendet ciris honores. v 27: *felix ille dies, felix et dicitur annus, felices qui talem annum videre diemque.*

2. Pariter atque enuntiata relativa temporalia quoque in Ciri pauca sunt numero et generibus.

Particulis *simul, ubi, simulac, cum* introducuntur enuntiata secundaria quae enuntiato primario praemuniendo inserviunt eique antecedunt. Huc pertinent hi loci: v 163 *quae simul ac venis hausit sitientibus ignem / et validum penitus concepit in ossa furorem, / . . . infelix virgo tota bacchatur in urbe* etc. (s = v). v 149 *(cum);* v 181; v 340; v 349 *(ubi);* v 220 *(simul);* v 514 *(simul ut).*

In eis enuntiatis quae inchoantur a particula *cum* duo genera secernenda sunt, alterum quo par tempus, alterum quo posterius tempus significatur. Atque enuntiatum temporale prioris generis interpositum est primario, quod huius tempus in illo accuratius denotatur hoc loco: v 315 *saepe tuo dulci nequiquam capta sopore, cum premeret natura, mori me velle negavi* etc. cf. v 335. v 478. v 490.

Verum si periodus correlationem continet, enuntiatum secundarium postpositum est primario ut v 310: *verum haec haut nobis gravia atque indigna fuere tum, mea alumna, tui cum spes integra manebat* etc. cf. v 231.

Posterius tempus indicatur eis enuntiatis quae significant novam rem subito incidisse. Talia enuntiata scilicet periodum finire solent; v 146 *necdum etiam castos gustaverat ignis honores, / necdum . . . sacerdos . . . caput exornarat, / cum lapsa e manibus fugit pila.* cf. v 107. v 206. v 283.

Neque aliter se habet collocatio enuntiati temporalis quod inchoatur a particula *dum*, si totius actionis spatium comprehendit; v 404: *supprimite o paulum turbantia flamina venti, dum queror et divos . . . extrema moriens tamen alloquor hora.*

Reliquae sunt duae periodi in quibus enuntiata temporalia inducuntur particulis *antequam* et *donec*, quae quidem consueto ordine post enuntiatum primarium collocata sunt; v 255: *nec tamen ante ullas patitur sibi reddere voces, / marmoreum tremebunda pedem quam rettulit intro* (s = v). v 478 *fertur, et incertis iactatur ad omnia ventis . . ., donec tale decus formae vexarier undis non tulit . . . . caeruleo pollens coniunx Neptunia regno.*

Quibus peractis transeundum est ad enuntiata causalia quae in Ciri pauca sunt et nihil praebent memorabile.

Periodus orditur ab enuntiato causali hoc loco v 42: *sed quoniam ad tantas nunc primum nascimur artes . . . haec tamen interea . . . accipe dona* etc.

In fine autem enuntiati primarii collocatum est enuntiatum causale, aut quod explicat id quod antecedit ut v 266: *dicam equidem, quoniam tibi me non dicere, nutrix, non sinis* (cf. v 322. v 418), aut quod aliquid explicat ex tempore praeterito; v 116: *sed neque tum cives neque tum rex ipse veretur . . . turmas deicere et indomitas virtute retundere menteo, responsum quoniam satis est meminisse deorum.* cf. v 382.

4. Enuntiata finalia omnibus locis postposita sunt enuntiato primario. v 36: *tali te vellem, iuvenum doctissime, ritu purpureos inter soles et candida lunae sidera, caeruleis orbem pulsantia bigis, naturae rerum magnis intexere chartis, aeterno ut*[1]) *sophiae coniunctum carmine nomen nostra tuum senibus loqueretur pagina saeclis.* Ex qua periodo facile cognoscitur quam abundanti dicendi genere poeta usus sit. Cetera exempla inveniuntur his locis: v 74. v 184. v 249. v 275. v 290. v 326. v 365. v 487. v 528.

5. Pervenimus ad enuntiata condicionalia quae omnibus fere locis in initio periodi posita sunt. Atque tribus locis poeta periodum more Lucretiano induxit per particulam *quod si:* v 12. v 241. v 333.

Vnicum in Ciri exstat exemplum ubi enuntiatum condicionale excipit enuntiatum primarium, quia continet causam quae prohibuit quominus fieret id quod fieri potuit; v 129: *nec vero haec crinis custodia vana fuisset nec fuerat, ni Scylla novo conrepta furore . . . o nimium cupidis Minon*[2]) *inhiasset ocellis.*

6. Itaque iam aggrediamur ad proximum genus periodorum scilicet ad enuntiationes concessivas. Sunt autem numero quinque. Atque si enuntiatum primarium sensum affirmativum continet enuntiatum concessivum ei antecedit; sic v 1 *Etsi me vano iactatum laudis amore . . . Cecropius . . . hortulus . . . complectitur, . . . non tamen absistam coeptum detexere munus* etc. cf. v 306.

Tribus autem locis enuntiatum concessivum interpositum est aliis enuntiatis, atque duobus quidem locis per parenthesin. Tertium exemplum hoc est: v 415 *tamen haec, etsi non aspicis,*[3]) *audis.* Quae collocatio cogitationum ordini bene respondet.

7. Reliquae sunt duae periodi quae singula enuntiata consecutiva exhibent

---

1) ex coniect. Skutschii, codd. . . . aeternum ut.

2) ex coniect. Hauptii et Buecheleri; codd. . . . si non.

3) corr. Heinsius; codd. . . . accipis.

Secundum ordinem naturae est, cum enuntiatum primarium excipitur secundario, quod in illius fine sequitur. Sed illa duo exempla ab hoc ordine recedunt. Nam alterum quidem enuntiatum consecutivum interpositum est enuntiato primario, v 293: *iam iam nec nobis aequo senioribus ullum vivere uti cupiam* (vivendi copiam codd., corr. Sillig.) *vivit genus,* alterum autem partibus suis circumcludit enuntiatum primarium; v 242: *nam te iactari, non est Amathusia nostri tam rudis, ut nullo possim cognoscere signo.*

Iam ut appareat qua ratione poeta nonnullas periodos simplices struxerit et additamentis auxerit earum schemata adponimus. v 36 — 41 $\frac{A\ (v)\ A\ (p)\ A}{fin}$; v 129 — 132 $\frac{nec\ A_1\ nec\ A_2}{cd\ (p_1)\ cd\ (p_2)\ cd}$; v 133 - 138 A ($rel_1$ rel_2) i *et* app_1 app_2 [π] A; v 146 — 149 $\frac{A_1\ A_2\ (p)\ A_2}{tp}$; v 206—211 $\frac{A_1\ que\ A_2}{tp_1\ (p)\ tp_1\ et\ tp_2}$; v 220 — 226 tp [$\pi$] : A_1 *et* (v) A_2; v 268 — 272 A [π_1] (rel_1 rel_2 rel_3 [π_2 π_3]) A; v 490 — 292 A(p_1)A(p_2 p_3) $\frac{A}{fin}$; v 278—282 cd(v)cd : *aut* A_1 $\left[\frac{B}{rel}\right]$ A_1 *aut* A_2;

Haec hactenus de periodis simplicibus Galli.

8. In periodis compositis quamquam non multae sunt quae enuntiata secundi et inferioris ordinis exhibent, tamen participiis interiectionibus vel totis periodis extra constructionem interpositis ita sunt auctae et interdum tam multos complent versus, ut perspicuitas orationis laedatur.

Ac primum tractandae sunt eae periodi in quibus duo enuntiata secundaria inter se coordinata insunt. Talis generis invenimus sex exempla quae vario modo structa sunt. v 133 — 137: *quod si non alia poteris ratione parentem flectere (sed poteris: quid enim non unica possis?), tum potius tamen ista, pio cum iure licebit, cum facti causam tempusque doloris habebis, tunc potius conata tua atque incepta referto.* Quae periodus hoc praebet schema: cd [π_1 π_2] : A (tp_1 tp_2) A; ceterae autem sic conformatae sunt: v 315 — 319 p tp : $\frac{A}{fin}$; v 110 — 113 A (rel) $\frac{A}{csl\ (p)\ csl}$; v 250—252 A_1 *que* tp : $\frac{A_2}{rel}$; v 139—149 A(rel) $\frac{p_1\ A}{tp_1(p_2)tp_1\ et\ tp_2\ p_3\ et\ p_4}$; v 421 — 424 A (v) A (cd) $\frac{A}{rel}$.

In octo autem periodis continentur enuntiata etiam secundi ordinis. Atque utrumque enuntiatum secundarium antecedit pri-

mario in his quattuor exemplis: v 349 — 355 $\dfrac{\text{tp } (p_1) \text{ tp } p_2}{\text{rel } [\pi_1\ \pi_2]}$: A_1 *et* A_2;

v 163 — 170 $\dfrac{tp_1 \textit{ et } tp_2}{cp_1 \textit{-ve } cp_2}$: A p_1 p_2 p_3; v 490 — 495 correl (tp) correl (p_1) correl : A_1 (p_2) A_1 atque A_2; v 533 — 537 correl p (rel) correl : A: *namque ut in aetherio signorum lumine praestans, unum quem duplici stellatum sidere vidi, Scorpios alternis clarum fugat Oriona: sic inter sese tristis haliaeetos iras et ciris memori servant ad saecula fato.*

Cetera autem exempla alias habent structuras: v 297 — 305 $\dfrac{A_1\ A_2 \textit{ nec } A_3}{rel_1 \textit{ et } rel_2\ rel_3 \text{ (fin) } rel_3}$; v 400 — 406 A_1 p, A_2, $\dfrac{A_3}{tp_1 \textit{ et } tp_2 \text{ (css) } tp_2}$;

v 411 — 413 $\dfrac{\dfrac{A}{rel_1}}{rel_2}$; v 478 — 483 $\dfrac{\dfrac{A_1 \textit{ et } A_2}{cp\text{-}tp_1 \textit{ et } tp_2}}{tp_3 \textit{ ac } tp_4 \text{ p}}$.

Reliqui sunt undecim verborum circuitus qui tria aut plura enuntiata secundaria inter se diversa exhibent. Atque in hoc numero nonnullae sunt tam longae ut undecim vel tredecim vel viginti quinque versus amplectantur, quamvis in earum dimidia fere parte enuntiata primi tantum ordinis inveniantur. Exempli causa affero periodum quae est v 181 — 186: *atque ubi nulla malis reperit solacia tantis | tabidulamque videt labi per viscera mortem, | quo vocat ire dolor subigunt quo tendere fata, | fertur et horribili praeceps impellitur oestro, | ut patris, a demens, crinem de vertice ferret furtim atque arguto detonsum mitteret hosti* (s = v).

tp_1 *-que* tp_2, rel_1 rel_2 : $\dfrac{A_1 \textit{ et } A_2}{fin_1 \text{ (excl) } fin_1 \textit{ atque } fin_2}$; v 241 — 249

cd_1 [csct (A) csct], cd_2 : B (rel) B ; v 1 — 11 css (p_1 *-que* p_2) css (p_3) css (p_4) css [fin : p A_1 *et* A_2] : $\dfrac{B}{i \textit{ et } rel}$; v 43 — 52

csl_1 csl_2 : A_1 (rel_1 rel_2) $\dfrac{A_1\ p_1;\ A_2}{int_1\ p_2\ int_2 \textit{ et } (p_3)\ int_3\ p_4\ p_5}$; v 378 — 385

tp_1 *nec* tp_2 *nec* tp_3 [π] : A_1 *-que* A_2 (csl_1) $\dfrac{A_2}{csl_2}$ *et* A_3.

Quibus accedunt quinque periodi quae etiam enuntiata secundi ordinis continent. En habes eorum schemata: v 520 — 529

A; B_1 (rel) B_1 (p_1 tp) B_1 [π_1 π_2] B_1 -*que* B_2 . In hac periodo
csct
csl

videlicet alterum enuntiatum primarium (B_1) interpositis enuntiatis secundariis et interiectione in quattuor partes dirimi.

v 322—327 cd_1 : A_1 , cd_2 : A_2 (v) A_2 (p) A_2; v 12—26
csl rel fin

cd_1 (v) cd_1 cd_2 cd_3 p : A_1 [css_1 *et* css_2] *sed* p [cd] p ;
rel_1 *atque* i rel_2
tp_1 -*que* tp_2 tp_3 *et* tp_4

v 273 — 277 A ; quam pe-
fin_1 (cd) fin_1 cd_2 : fin_2 (rel) fin_2 (v) fin_2

riodum liceat verbis adscribere: *quod te per divum crebros obtestor amores perque tuum memori sanctum mihi pectus alumnae, ut me, si servare potes, ne perdere malis; sin autem optatae spes est incisa salutis, ne mihi quam merui invideas, nutricula, mortem.*

Vnum enuntiatum tertii ordinis exstat in hac periodo:
v 237—240 excl. A .
rel_1
csct (rel_2) csct

Sequitur ingens periodus quae omnium est maxime complicata et enuntiata tertii et quarti ordinis exhibet v 66 — 91:

A $distr_1$ $distr_2$ $distr_3$ $distr_4$ $distr_5$ [B_1 B_2 (p) B_2; C] $distr_6$
csct (tp) csct

[π] (csl_1 *et* csl_2) $distr_6$ *et* $distr_7$ [$excl_1$ $excl_2$] rel_2 *et* cp : D *atque* i .
csl_3 *et* i
rel_1 (csl_4 *atque* p) rel_1

Hae sunt omnes periodi quae in Ciri reperiuntur.

In oratione gravi et commota Gallus plerumque parataxi usus est et breves struxit enuntiationes neque tamen has semper sine ullis additamentis. Exempli causa afferantur hi loci: v 171 — 180. v 195 — 202. v 212 — 219. v 257 — 267. v 294 — 300. v 306 — 314. v 355 — 364. v 386 — 403. v 428 — 442. v 442 — 458. Sed non desunt loci ubi poeta in oratione derecta quoque periodos struxerit satis magnas ut v 322 — 327. v 333 — 337. v 404 — 406. v 407 — 415.

Ex his omnibus satis elucere putamus componendi rationem quam Gallus secutus est compluribus in rebus prope accedere ad Catulli periodos struendi artem. Ex utriusque enim poetae versibus apparet studium singulas sententias accommodandi singulis versibus. Aeque largus apud utrumque est participiorum et parataxis usus. Denique poetae alter cum altero satis consentiunt in particulis et in variis enuntiatorum generibus adhibendis. Neque tamen negari potest Galli periodos saepe perspicuitate et elegantia structurae carere, quia interdum nimis longae et interiectionibus auctae sunt.

Haec satis habemus dixisse de Galli periodis.

VI.

Ordine progressi pervenimus ad Vergilii carmina.

Ac primum, ut aperiamus quibus rebus haec carmina inter se differant, quod quidem pertinet ad periodorum structuram, pertractaturi sumus quattuor Georgicon libros, deinde vero aggrediendum erit ad Aeneidem.

1. Eandem ac supra viam persequentes incipiemus ab enuntiatis relativis scilicet eis quae attributionem continent.

Duos invenimus locos ubi periodus a tali enuntiato orditur: II 57 et II 500 *quos rami fructus, quos ipsa volentia rura sponte tulere sua, carpsit* etc. Sed hoc non est mirum, quandoquidem in utraque periodo pronomen relativum se coniunxit cum nomine ad quod pertinet. [1])

Plerumque autem relativum post nomen subiectum collocatum est. Huc pertinent inprimis ea exempla in quibus enuntiatum relativum insertum est primario ut IV 326: *en etiam hunc ipsum vitae mortalis honorem, quem mihi vix frugum et pecudum custodia sollers omnia temptanti extuderat, te matre relinquo.* cf. I 498; II 57. 158. 475; III 146. 326. 538; IV 532 etc.

Enuntiatum relativum autem postpositum est enuntiato primario, si nomen regens in huius fine locum obtinet. Exempli causa affero II 97: *sunt et Aminneae vites, firmissima vina, | Tmolius adsurgit quibus et rex ipse Phanaeus* (s — v). cf. I 14. 83; II 99. 163. 397; III 51. 258; IV 127. 415. 512 etc.

Interdum in periodis eiusdem structurae nomen regens gravitatis causa in initio periodi positum est; sic I 47: *illa seges demum votis respondet avari agricolae, bis quae solem, bis frigora sensit.* cf. II 293. IV 8. 112.

1) cf. Bach l. l.

Enuntiata relativa indefinita et generalia quae vocantur in exordio periodi collocari solent. Haec enuntiata secundaria sunt pro parte subiecta vel obiecta vel pro adverbio. I 35 . . . *quidquid eris . . . da facilem cursum* etc. III 394: *at cui lactis amor, cytisum lotosque frequentes ipse manu salsasque ferat praesepibus herbas.* cf. II 47. 105. 217. 254; III 400. 401; IV 287.

Nec multum ab his exemplis differunt ea in quibus enuntiato relativo praeposita est aliqua particula aut verbum gravius distinctum. Affero has periodos: II 74 *nam qua se medio trudunt de cortice gemmae et tenues rumpunt tunicas, angustus in ipso fit nodo sinus.* I 94: *multum adeo, rastris glaebas qui frangit inertes vimineasque trahit cratis, iuvat arva.*

Vno autem loco tale enuntiatum relativum periodum finit propterea quod haec orditur a verbo; III 292: *iuvat ire iugis, qua nulla priorum Castaliam molli devertitur orbita clivo.*

Denique enuntiatum relativum nonnunquam loco parataxis usurpatum est ut I 232: *quinque tenent caelum zonae, quarum una corusco semper sole rubens et torrida semper ab igni; quam circum* etc. cf. II 22. 350; III 69. IV 165. 271.

2. Quibus expositis transeamus ad enuntiata temporalia quae numero sunt fere totidem atque enuntiata relativa.

Rem minoris momenti praeterlapsam esse indicant enuntiata quae incipiunt a particula *postquam* his duobus locis: III 432 et IV 373; *postquam est in thalami pendentia pumice tecta perventum . . ., manibus liquidos dant ordine fontes germanae* etc.

Similiter enuntiatum primarium se adiungit ad enuntiata temporalia inchoata a particulis *ubi* et *cum*. Atque *ubi* particula invenitur in his versibus: I 208 *Libra die somnique pares ubi fecerit horas . . . exercete, viri, tauros* etc. I 250. 441. 445; II 312. 367; III 190. 271; IV 77. 88. 186. 405. 443; *cum* particula autem in his periodis: I 370 *at Boreae de parte trucis cum fulminat, et cum Eurique Zephyrique tonat domus, omnia plenis rura natant fossis* etc. III 139. IV 103.

Nonnullis locis tali enuntiato temporali praeposita est particula aut vox sonum ferens ut IV 189: *post ubi iam thalamis se composuere, siletur in noctem* etc. II 426: *poma quoque, ut primum truncos sensere valentes et vires habuere suas, ad sidera raptim vi propria nituntur* etc.

Denique haec enuntiata temporalia in fine enuntiati primarii sequuntur, si explicant id quod antecedit; III 441: *turpis ovis temptat scabies, ubi frigidus imber altius ad vivum persedit* etc. cf. I 43. 147; II 352. 423; IV 231.

Plerumque autem enuntiata temporalia, quae introducuntur per particulam *cum*, periodum finiunt, sive quod enuntiatum primarium continet appellationem ut I 187: *contemplator item, cum se nux plurima silvis induet in florem et ramos curvabit olentes* (cf. I 215; III 103. 303), sive quod continet rem vel temporis notitiam quae enuntiato temporali accuratius explicatur ut I 360: *iam sibi tum a curvis male temperat unda carinis, / cum medio celeres revolant ex aequore mergi* etc. I 466: *ille etiam extincto miseratus Caesare Romam, / cum caput obscura nitidum ferrugine texit / impiaque aeternam timuerunt saecula noctem* (s=v) cf. I 390. 493; II 319. 421; III 132. 335. 357. 435. 461.

Denique haec enuntiata periodum ad finem perducunt, cum significant novam rem subito incidisse. Huc pertinent haec duo exempla: II 338 et IV 427: *arebant herbae et flumina siccis faucibus ad limum radii tepefacta coquebant, cum Proteus consueta petens e fluctibus antra ibat.*

Enuntiatum temporale inchoatum a particula *dum* antecedit enuntiato primario, si exprimit alteram rem etiam tum valuisse cum altera incideret. Talia exempla invenimus duobus locis II 362 et IV 348: *carmine quo captae dum fusis mollia pensa devolvunt, iterum maternas impulit aures luctus Aristaei* etc.

Ab his exemplis nonnihil aliena sunt ea in quorum initio particula aut simile quid positum est ut III 63: *interea, superat gregibus dum laeta iuventas, solve mares.* cf. III 486; IV 457.

Sin haec enuntiata secundaria idem tempus significant atque id quod est in enuntiato primario, huic se alligant. Huc spectant hae periodi: I 212 *nec non et lini segetem et Cereale papaver tempus humo tegere et iamdudum incumbere aratris, / dum sicca tellure licet, dum nubila pendent.* II 263. 371; III 165. 284. 454. Notandum est exemplum singulare quod exstat IV 559: *haec super arvorum cultu pecorumque canebam . . . . Caesar dum magnus ad altum fulminat Euphraten bello* etc.

Simili modo duo enuntiata inchoata a particulis *donec* et *dum* periodum finiunt quod rem maioris momenti praeterlapsam esse significant. III 556 *iamque catervatim dat stragem atque aggerat . . . / donec humo tegere ac foveis abscondere discunt.* cf. IV 84 *(dum).*

Denique periodum item finire solent enuntiata temporalia posterioris temporis inchoata a particulis *antequam* et *priusquam.* Affero hoc exemplum: I 347 *neque ante falcem maturis quisquam supponat aristis, quam Cereri torta redimitus tempora quercu det motus incompositos et carmina dicat.* cf. II 259; III 468; IV 305.

Sed duobus locis periodus a tali enuntiato insolito more incipit II 536 et I 50: *ac prius ignotum ferro quam scindimus*

aequor, ventos et varium caeli praediscere morem cura sit.

Haec hactenus de enuntiatis temporalibus in Vergilii Georgicon libris.

3. Vnicam in Georgicis invenimus periodum cuius enuntiatum secundarium regitur particula *quoniam* IV 437: *cuius Aristaeo quoniam est oblata facultas, / vix defessa senem passus componere membra cum clamore ruit magno maicisque iacentem occupat.* Sed haud quemquam fallit huic enuntiato secundario subesse vim temporalem. Qualia exempla reminisceris complura exstare in Lucretii libris.

Vnicum quod in Georgicis invenitur enuntiatum causale interpositum est enuntiato condicionali (IV 251). Vis obiectiva vel explicativa inest in enuntiato secundario huius periodi IV 197: *illum adeo placuisse apibus mirabere morem, quod neque concubitu indulgent nec corpora segnes in Venerem solvunt aut fetus nixibus edunt.*

4. Itaque iam progrediendum est ad enuntiata finalia quae vocantur.

Atque haec enuntiata initium faciunt periodi aut interposita sunt enuntiato primario, si voluntatem subiecti agentis exprimunt. Huc pertinent hi duo loci: I 251 *atque haec ut certis possemus noscere signis / . . . ipse Pater statuit quid menstrua luna moneret.* III 70: *semper enim refice, ac, ne post amissa requiras, ante veni et subolem armento sortire quodannis.*

Ceteris omnibus locis enuntiatum finale consueta ratione postpositum est enuntiato primario. I 69. 132; II 505; III 126. 135; IV 21. 396 etc.

5. Quod attinet ad enuntiata condicionalia, eorum pars maxima initium periodi efficit.

Nobis autem potissimum eae periodi considerandae sunt in quibus haec enuntiata in fine primarii locum obtinent aut periodum ad exitum perducunt.

Ac primum hoc fit, cum in enuntiato primario exstat allocutio vel exclamatio. Huc spectant haec duo exempla: I 176 et IV 329: *quin age et ipsa manu felicis erue silvas, / . . . ure sata et validam in vitis molire bipennem, / tanta meae si te ceperunt taedia laudis* (s = v).

In alia periodo enuntiatum condicionale interpositum est primario, quia insequitur enuntiatum relativum quod nimirum ad nomen suum se adiungere debet II 458: *o fortunatos nimium, sua si bona norint, agricolas, quibus* etc.

Si enuntiatum condicionale ad unum tantum verbum pertinet, huic se alligat; II 42 *non ego cuncta meis amplecti versibus*

opto, non, mihi si linguae centum sint, oraque centum, ferrea vox. Item in fine enuntiati primarii sequitur enuntiatum condicionale id quo sub exceptione aliquid exprimitur. IV 6 *at tenuis non gloria, siquem numina laeva sinunt auditque vocatus Apollo.*

Reliquae sunt duae periodi in quibus enuntiatum condicionale irreale quod vocatur, excipit enuntiatum primarium, quoniam sensus subest negans: I 197 et II 343: *nec res hunc tenerae possent perferre laborem, si non tanta quies iret frigusque caloremque inter et exciperet caeli indulgentia terras.*

Natura condicionali autem fere omnino privatum est enuntiatum secundarium ita ut pro enuntiato temporali haberi possit in hac periodo: II 308 . . . *et ruit atram ad caelum picea crassus caligine nubem, praesertim si tempestas a vertice silvis incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.*

6. Quibus expositis iam tractanda sunt enuntiata concessiva.

Haec enuntiata supra ostendimus plerumque antecedere enuntiato primario, si huic sensus affirmativus subest. Huiusmodi sunt haec exempla: I 118; IV 135; IV 206 *ergo ipsas quamvis angusti terminus aevi excipiat, at genus immortale manet* etc.

In una autem periodo collocatio enuntiatorum contraria est III 118 . . . *aeque iuvenemque magistri exquirunt calidumque animis et cursibus acrem, quamvis saepe fuga versos ille egerit hostes* etc. Sed in hac periodo sensus negans videtur inesse. Nam poeta dicit magistros ad exercendum sibi elegere equos iuvenes et acres, non veteres, etiamsi hi quidem in pugnis olim acerrimi fuerint.

Atque sensus negans invenitur in duobus quoque exemplis quae sunt I 36 et III 306 *nec minor usus erit, quamvis Milesia magno vellera mutentur Tyrios incocta rubores.*

7. Postremo una afferenda est periodus in qua continetur enuntiatum consecutivum, quod consuetum tenet locum II 516: *nec requies, quin aut pomis exuberet annus aut fetu pecorum* etc.

Hae sunt periodi simplices quae in Vergilii Georgicis inveniuntur. Atque numerus earum satis parvus est si respicitur numerus versuum in quibus reperiuntur. Qua re non mirum est singula enuntiatorum genera non tam varia ratione adhibita esse quam in Lucretii libris et in Aeneide.

8. Aeque parvus est in Georgicon libris numerus periodorum in quibus duo vel plura enuntiata secundaria inter se diversa continentur. Inveniuntur enim quinquaginta fere exempla, quorum

fere dimidia pars enuntiata secundaria primi tantum ordinis exhibet.

Atque in eis periodis in quibus duo enuntiata inter se coordinata insunt invenimus has formas: III 163 — 165 *tu quos ad studium atque usum formabis agrestem, / iam vitulos hortare viamque insiste domandi, / dum faciles animi iuvenum, dum mobilis aetas* (s=v). rel : $\frac{A_1 \textit{ atque } A_2}{tp_1\ tp_2}$; II 155 — 159 cd i : $\frac{A}{rel\ p}$;

I 50 — 53 tp : $\frac{A \textit{ ac } i}{int_1\ int_2}$; I 219 - 224 cd_1 *-que* cd_2 : $\frac{A_1 \textit{ -que } A_2}{tp_1 \textit{ -que } tp_2}$;

III 464 — 469 tp_1 *aut* i_1 *aut* i_2 p *et* i_3 : $\frac{A}{tp_2}$; I 351 — 355

fin_1 *-que* fin_2 : $\frac{A}{int_1\ int_2\ int_3}$; I 67 — 70 cd : A $\frac{illic}{fin_1}$, $\frac{hic}{fin_2}$; I 208 —

214 tp_1 *et* tp_2 : $\frac{A_1\ (v)\ A_1;\ A_2 \textit{ nec } A_3 \textit{ et } A_4}{tp_3,\ tp_4}$.

In his periodis enuntiatum primarium circumcluditur secundariis quorum alterum illi antecedit alterum illud subsequitur.

Alterum enuntiatum secundarium interpositum est primario in hac periodo: II 53 — 54 *nec non sterilis, quae stirpibus exit ab imis, hoc faciet, vacuos si sit digesta per agros.* A (rel) $\frac{A}{cd}$;

ceterae autem periodi structuras nonnihil diversas exhibent.

I 259—261 cd : A (rel) A ; I 432—437 cd [π] cd : A_1 (rel) A_1 *-que* A_2;

I 316—320 A (tp_1 *et* tp_2) $\frac{A}{rel}$; II 49—52 A_1 (cd_1 *aut* cd_2) A_1 *-que* A_2 (rel) A_2;

III 295 — 299 $\frac{p\ A}{tp}$ *et* $\frac{i}{fin_1 \textit{ -que } fin_2}$; II 475 — 482

$\frac{A_1\ (rel\ p)\ A_1 \textit{ -que } A_2}{int_1\ int_2\ p \textit{ -que } int_3\ int_4 \textit{ vel } int_5}$.

Quibus accedunt nonnulla exempla eiusdem generis quae tria enuntiata secundaria continent et ita sunt composita: IV 88 — 90 *verum ubi ductores acie revocaveris ambo, deterior qui visus, eum, ne prodigus obsit, dede neci; melior vacua sine regnet in aula.* tp, rel : A_1 (fin) A_1 ; A_2; II 105 — 108 rel : $\frac{A}{int_1}$ *aut* (tp) $\frac{i}{int_2}$; IV 401

— 404 A_1 (tp_1 tp_2 *et* tp_3) A_1 *et* A_2 *tum* A_3 *et* A_4 ; II 279 —
cd_1 *aut* cd_2 tp_3 *et* tp_4*-que* tp_5

287 cp-tp_1 *et* tp_2 *-que* tp_3 *ac* tp_4 *necdum* tp_5 *sed* tp_6 : A .
non fin *sed* csl_1 *neque* csl_2

Quibus tractatis proponendae sunt periodi quae singula enuntiata etiam secundi ordinis exhibent.

Ac primum afferemus exempla in quibus enuntiatum primarium praepositum est secundariis quae illi subiuncta sunt ut III 250 — 251 *nonne vides, ut tota tremor pertemptet equorum corpora, si tantum notas odor attulit auras?* A ; I 60 — 63 A ;
int rel$_1$
cd rel$_2$ app

I 160 — 161 A ; IV 485 — 489 A_1 (p) A_1 *-que* A_2 p [π];
int tp app
rel *nec* i cd

II 290 — 292 A app ; I 193 — 196 A *et* i ; II 303
rel (correl) rel fin$_1$ *et* (css) fin$_2$

— 311 A ; I 104
rel$_1$ (p_1) rel$_1$ *-que* p_2 rel$_2$ *inde* p_3 rel$_3$ *et* rel$_4$ *et* rel$_5$
cd_1 *-que* cd_2 (p_4) cd_2

— 108 A ; II 126 —
p (rel$_1$) (p) rel$_1$ *-que* rel$_2$ *deinde* rel$_3$ *et* (tp) rel$_4$

130 A ; IV 18—24 A_1 (p) A_1 *-que* A_1 ;
cp_1 (cd_1 *-que* cd_2) cp_1 *ac* cp_2 fin$_1$ (tp_1 *-que* tp_2) fin$_1$ *-que* fin$_2$

I 93 – 96 A (rel$_1$ *-que* rel$_2$) A; B .
rel$_3$ (p (rel$_4$) (p) rel$_4$) rel$_3$ *-que* rel$_5$ *atque* rel$_6$

Quibus periodis accedunt quattuor aliae in quibus enuntiata secundaria antecedunt enuntiato primario. Vt unum exemplum verbis adscribamus, proponimus circuitum qui est II 483—485: *sin, has ne possim naturae accedere partes, frigidus obstiterit circum praecordia sanguis, rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes, flumina amem silvasque inglorius.* cd (fin) cd : A_1 ; A_2 ; I 427—429 cd_1 (tp) cd_1 : A *at* cd_2 : B_1 ; B_2 ; I 458 – 460 cd (tp_1 *-que* tp_2) cd :

A_1 *et* A_2; II 17 — 23 rel_1 *et* rel_2 *et* (tp) rel_3 -*que* rel_4 *nec* rel_5 : A_1; A_2; B.

9. Addendi sunt decem verborum circuitus variae structurae in quibus tria enuntiata secundaria utriusque ordinis continentur.

III 387 — 390: *illum autem, quamvis aries sit candidus ipse, nigra subest udo tantum cui lingua palato, reice, ne maculis infuscet vellera pullis nascentum, plenoque alium circumspice campo.* A_1 (css : rel) $\frac{A_1}{\text{fin}}$ -*que* A_2; animadvertas insolitam collocationem enuntiati concessivi, quod, quamvis sit secundi ordinis, tamen praepositum est enuntiato primi ordinis. Atque similiter disposita sunt enuntiata secundaria in hac periodo:

II 227—232 $int_1\ int_2$: cd[$csl_1\ csl_2\ app_1\ app_2$] : A_1 -*que* A_2; A_3 *et* A_4; cetera exempla haec sunt: IV 281 — 285 cd_1 *nec* (rel) cd_2 $\frac{:\ A}{\text{int}}$;

III 457—463 A(p tp_1 *atque* tp_2) $\frac{\frac{A\ \textit{et}\ i}{\text{rel}}}{tp_3\ \textit{et}\ tp_4}$; II 465—468 A(cd) $\frac{\frac{A}{int_1\ \textit{et}\ int_2}}{\text{fin}}$;

IV 25—29 A ($distr_1\ distr_2$) $\frac{\frac{A}{\text{fin}\ \textit{et}\ i}}{cd_1\ \textit{aut}\ cd_2}$; II 458—466 A (cd) $\frac{\frac{A}{\text{rel (app) rel}}}{cd_1\ \textit{nec}\ cd_2\ \textit{neque}\ cd_3\ \textit{nec}\ cd_4}$;

I 84—93 $\frac{A\ \textit{atque}\ i}{distr_1\ distr_2\ \underset{\text{rel}}{\underline{distr_3}}\ \underset{\text{fin}}{\underline{distr_4}}}$; I 410 —423 A_1 *et* A_2 (p) A_2; A_3; $\frac{A_4[\pi]}{\text{csl}}$

verum A_5 $\left(tp_1\ \textit{et}\ \underset{rel_1}{\underline{tp_2}}\ \textit{et}\ (rel_2)\ tp_3\right)$ A_5; A_6 (tp_4) A_6; A_7; III 425 — 434 $\frac{A}{p_1\ rel_1\ (tp_1\ \textit{et}\ tp_2)\ rel_1\ \textit{-que}\ p_2\ rel_2,\ tp_3\ \textit{-que}\ tp_4 : rel_3\ \textit{et}\ p_3\ rel_4\ \textit{atque}\ p_4}$.

Restat ut afferantur duae periodi quae singula enuntiata tertii ordinis continent.

IV 411 — 414: *set quanto ille magis formas se vertet in omnis, / tanto, nate, magis contende tenacia vincla, / donec talis erit mutato corpore, qualem videris, incepto tegeret cum lumina somno* (s = v).

correl : $\frac{\frac{\frac{A\ (v)\ A}{tp_1\ p}}{\text{rel}}}{tp_2}$; I 111 — 117 $\frac{A}{rel_1\ (\text{fin})\ \underset{\text{tp}}{\underline{rel_1}}\ \textit{-que}\ \underset{\frac{cd_1\ \textit{et}\ cd_2}{rel_3}}{\underline{rel_2}}}$.

Ex his omnibus schematis apparet periodos compositas in Georgicon libris numero non esse multas, sed interdum satis longas et complicatas, quamvis in eis duo tantum exstent exempla quae singula enuntiata tertii ordinis exhibent. Ad Catulli morem videlicet accedere participiorum usum satis largum. Sed neminem fugere opinamur Vergilium iam in Georgicis magis quam ceteros poetas ad parataxin inclinasse. Neque enim desunt verborum circuitus in quibus sententiarum ordo sive exclamationibus sive compellationibus sive parataxi interruptus sit ita ut certis schematis designari non possint. Exempli causa affero hos locos: I 5 — 11. 12 — 24. 25 — 42; II 184 — 194; III 271 — 279; IV 251 — 266. 308 — 314.

Denique poeta copulationem mere paratacticam largissime usurpavit. Neque enim raro inveniuntur loci triginta vel quadraginta vel plurium versuum in quibus nulla occurrat periodus. Sed cum in oratione paratactica Aeneidos saepe reperiantur verborum tractus, qui sint tamquam periodi solutae, ut facile singulas sententias in orationem hypotacticam mutare possis, in Georgicon libris talia exempla fere nulla occurrunt. Ex quo apparet Vergilium in Aeneide orationem diligentius disposuisse et, quamvis plerumque simplici dicendi genere usus sit, tamen maiore cum arte id instituisse ita, ut ipso sensu cognosci posset qua ratione singulae sententiae inter sese cohaererent. Eiusmodi exempla paulo infra in tractanda Aeneide afferentur.

VII.

Si quis maiorem partem Aeneidos perlegerit, concedere debet periodos longas et complicatas fere nullas inveniri et simpliciores quoque, quae duo enuntiata secundaria contineant, aeque raro occurrere. Sed hoc non mirum est, quoniam Vergilius praetermissa nimia subtilitate, quam affectabant poetae novi qui dicuntur, inprimis gravi et simplici usus est dicendi genere. Neque negari potest hoc quidem maxime respondere sermoni poetico, ut leviter atque canore profluens simplici oratione singulas res ob mentem nobis ponat eodem ordine atque in animo poetae versabantur.

1. Viam consuetam persequentes inquiremus in periodos simplices et initium faciemus ab enuntiatis relativis.

Neque apud ullum ceterorum poetarum tam varius usus horum enuntiatorum invenitur quam apud Vergilium. Neque ullum fere exstat enuntiatorum genus, quod poeta enuntiato relativo exprimere non potuerit. Quo quidem mihi videtur com-

probari Vergilium in sermone tractando inter ceteros poetas valde excellere. [1])

Ex eis enuntiatis relativis quae aliquid attribuunt ad nomen antecedens, alia sunt pro adiectivo ut VII 531: *hic iuvenis, . . . natorum Thyrri fuerat qui maximus Almo, sternitur*, alia pro appositione ut IX 245: *di patrii quorum sub numine semper Troia est* etc., alia denique pro participio ut IV 431: *non iam coniugium antiquum, quod prodidit, oro.* Atque talibus enuntiatis secundariis proprietates rerum quin mutentur ita ut descriptio exstet subtilis atque narratio profluens, quis est qui neget?

Hoc relativum interdum se coniungit cum nomine ad quod pertinet: I 573 *urbem quam statuo, vestra est.* I 157: *defessi Aeneadae, quae proxima litora, cursu contendunt.*

Enuntiatum relativum quod ad nomen antecedens se alligat, novam rem inducere potest, ut sit pro coordinatione; sic I 378 *sum pius Aeneas, raptos qui ab hoste penates classe veho mecum* etc. Nonnullis locis enuntiata relativa brevia per parenthesin interposita sunt aliis enuntiatis ut IV 109 . . . *si modo, quod memoras, factum fortuna sequatur.* cf. V 691. 796; VI 97; IX 155; XI 15.

Hoc etiam notandum est pronomen relativum nonnunquam procul stare ab initio enuntiati ut II 471 . . . *qualis ubi . . . coluber mala gramina pastus, frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat, . . . convolvit . . . terga* etc., et circumscriptionem relativam coniunctam esse cum praepositione: X 596 *per te, per qui te talem genuere parentes* etc. cf. XII 56.

Denique enuntiata relativa pro aliis quoque enuntiatis secundariis usurpata sunt ut pro concessivo: I 250 *nos tua progenies, caeli quibus adnuis arcem . . . , prodimur* etc., aut pro condicionali: V 291 *hic, qui forte velint rapido contendere cursu, invitat pretiis animos et praemia ponit*, aut pro causali: X 630 *quod ut o potius formidine falsa ludar, et in melius tua, qui potes, orsa reflectas*, aut pro finali: I 62 *regemque dedit, qui foedere certo et premere et laxas sciret dare iussus habenas*, aut denique (metri causa) pro enuntiato consecutivo: XI 108 *quaenam vos tanto fortuna indigna, Latini, implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?*

Quod pertinet ad collocationem enuntiati relativi, hoc quidem in duabus periodis insolitum tenet locum in exordio, quia in eo

---

1) Hoc loco commemorandum est nos eam quae sequitur partem dissertationis saepius derexisse secundum commentationem Weissenborni in exordio adscriptam.

pondus quoddam positum est; VIII 324: *aurea quae perhibent illo sub rege fuere saecla.* cf. III 27. In his periodis verbum principale secundum ordinem in fine positum est. Nonnunquam autem Vergilius sponte ab hoc ordine recessit et verbum in initio periodi collocavit ut II 501: *vidi Hecubam . . . Priamumque per aras sanguine foedantem quos ipse sacraverat ignes.* cf. IV 453; X 420.

In quinque periodis enuntiatum relativum, cui inest aliquod consilium, insertum est enuntiato primario sed ita ut locum teneat ante verbum principale. II 248: *nos delubra deum miseri, quibus ultimus esset ille dies, festa velamus fronde per urbem.* cf. V 489; VIII 547; IX 159; XI 330. Atque his quidem locis enuntiata relativa attributionem magni momenti adiciunt ad sua nomina, quibus nimirum se adiungere debent. Ceteris omnibus locis talia enuntiata relativa periodum finiunt. I 287; II 184; III 36; V 590 etc.

Permagnus est numerus exemplorum in quibus enuntiatum relativum in fine primarii sequitur ideo, quod accuratius explicat id quod antecedit ut I 387 *haud, credo, invisus caelestibus auras vitalis carpis, Tyriam qui* (= quoniam) *adveneris urbem.* II 230; III 658; IV 355; V 190; VI 590; VII 19; VIII 118; IX 144; X 311; XI 306; XII 200 etc.

Denique si enuntiatum relativum ad nomen suum notitiam temporis diu praeteriti adicit, ordini sententiarum convenit ut hoc enuntiatum in fine periodi positum sit. Affero haec exempla huc pertinentia: I 343 *huic coniunx Sychaeus erat . . . cui pater intactam dederat primisque iugarat ominibus.* I 617; II 83; III 211; IV 263; V 496; VI 164; VII 409; VIII 52; IX 302; X 498; XI 31; XII 271 etc.

Enuntiata relativa indefinita et generalia quae vocantur enuntiato primario plerumque antecedere iam supra dictum est. Horum numerus quoniam magnus est, sufficiat unum alterumve exemplum verbis adscribere; II 148 *quisquis es, amissos hinc iam obliviscere Graios* etc. IV 545 *quos Sidonia vix urbe revelli, rursus agam pelago.*

Interdum tali enuntiato relativo praeposita est aliqua particula aut vox maiorem sonum ferens ut XI 591: *hac, quicumque sacrum violavit vulnere corpus, / . . . mihi pariter det sanguine poenas.* I 78: *tu mihi quodcumque hoc regni, tu sceptra Iovemque concilias*; quo loco sane relativum naturam suam amisit.

Sin periodus incipit a verbo, enuntiatum relativum in fine periodi collocatum est; sic I 361: *conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni aut metus acer erat.*

Ex eis quae verbis adscripsimus exemplis dilucide apparet Vergilium enuntiata relativa in Aeneide magis varia ratione adhibuisse quam in Georgicon libris.

Iamque aliam rem breviter exponere nobis haud abs re videtur esse. Saepius in Vergilii Aeneide occurrunt enuntiata relativa brevissima quae locum partis subiectae vel obiectae obtinent. Exempli causa affero periodos quae sunt VII 507: *quod cuique repertum rimanti, telum ira facit.* IV 115: *nunc qua ratione, quod instat, confieri possit, paucis docebo.* I 78: *tu mihi quodcumque hoc regni* (=totum regnum), *tu sceptra Iovemque concilias* (vide p. 62).

Sed alia quoque enuntiatorum genera multis locis inveniuntur brevissima eaque plerumque aliis enuntiatis interposita. Afferantur haec exempla: IX 169 *Instant Mnestheus acerque Serestus, quos pater Aeneas, si quando adversa vocarent, rectores iuvenum et rerum dedit esse magistros.* X 560: *Sulmone creatos quattuor hic iuvenes, totidem, quos educat Ufens, viventes rapit* etc. IV 547: *quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem.* V 691: *vel tu, quod super est, infesto fulmine Morti, si mereor, demitte tuaque hic obrue dextra.* cf. X 420. XI 323 etc.

Atque tam brevium enuntiatorum usus apud ceteros poetas non invenitur nisi apud solum Lucretium. Hic enim similiter atque Vergilius haud raro enuntiata relativa brevia usurpavit pro parte subiecta vel obiecta. Cuius rei afferantur haec exempla: I 463 *namque aliud saeclis, aliud regionibus ipsis eventum dici poterit, quodcumque erit actum.* III 515: *at neque transferri sibi partes nec tribui vult, immortale quod est, quicquam nec diffluere hilum.* II 771: *nam quocumque modo perturbes caerula quae sint, numquam in marmoreum possunt migrare colorem.* cf. I 538; II 184. 369; III 754; V 252. 367 etc. Talia quidem exempla apud Lucretium numero sunt plura quam apud Vergilium. Sed quamvis Lucretius multo plures et magis complicatas struxerit periodos quam Vergilius, tamen apud eum rarius occurrunt enuntiata brevia aliis interposita. Huc referendi sunt hi loci: I 313 *haec igitur minui, cum sint detrita, videmus.* III 1081 ... *post aliud, cum contigit illud, avemus.* VI 1207 ... *tamen alituum genus atque ferarum aut procul absiliebat, ... aut, ubi gustarat, languebat morte propinqua.* Vnum alterumve eius modi exemplum in Ciri quoque occurrit ut v 273 —277; v 294 etc.

Postremo ut finem faciamus disserendi de Vergilii enuntiatis relativis, liceat paucis exemplis demonstrare quantopere poeta inclinaverit ad coordinationem enuntiatorum. Compluribus enim locis ad enuntiata relativa adnexa sunt enuntiata primaria, quae

quidem exspectes subiungi per hypotaxin. Afferantur haec exempla: III 381 *principio Italiam quam tu iam rere propinquam vicinosque ignare paras invadere portus, longa procul longis via dividit invia terris.* In qua periodo ante adiectivum *vicinos* senties, ut ita dicam, supplendum esse relativum *cuius.* cf. III 303; V 51; X 242. 701; XI 67; XII 134. 943. Quod poetae studium iam clarius apparet e compluribus locis ubi enuntiato relativo aut comparativo complura enuntiata primaria ἀσυνδέτως apposita aut inserta sunt, quae sensu quidem subordinata sunt. Adscripsimus hoc exemplum: I 498 — 504 *qualis in Eurotae ripis aut per iuga Cynthi exercet Diana choros, quam mille hinc atque hinc glomerantur Oreades; illa pharetram fert humero, gradiensque deas supereminet omnes; Latonae tacitum pertemptant gaudia pectus: talis erat Dido.* Similia exempla inveniuntur his locis: I 1 — 7. 148 — 156; II 202 — 208; IV 68 — 73. 143 — 150. 401 — 407. 441 — 449; VII 378 — 384. 586 — 590. 670 — 677. 697 — 702; IX 58 — 65; X 706 — 716; XI 751 — 758; XII 331 — 340. 451 — 458. 587 — 592. 715 — 724.

Ac si complures horum locorum perlegeris, in animum tibi redibunt res gestae virorum quorundam aetatis heroicae, quos Homerus tam mira arte in versibus suis memoriae tradidit. Neque enim dubium videtur esse quin Vergilius talibus locis inprimis Homeri exemplum secutus sit.[1]) Apud ceteros autem quos tractavimus poetas talia aut similia exempla non inveniuntur, nisi forte unus verborum tractus e Catulli epyllio huc referendus est, qui similem praebet compositionem atque Vergilii exempla: LXIV 269 — 277.

2. Quibus expositis transeamus ad enuntiata temporalia quae in Aeneide numero proxime accedunt ad enuntiata relativa.

Fere omnia enuntiata temporalia quae significant alteram rem esse praeterlapsam et alteram subsequi, in exordio periodi collocari solent. Atque ea quae huc pertinent exempla a variis inchoantur particulis.

Particula *postquam* inducit enuntiata temporalia his locis: I 216 *postquam exempta fames epulis mensaeque remotae, amissos longo socios sermone requirunt.* I 520; II 90; III 57; IV 151; V 577; VI 888; VII 765; X 297; XI 146; XII 739 etc.

Accedunt enuntiata temporalia pariter collocata, quae aliis introducuntur particulis. Atque *ut* vel *ut primum* invenies his locis: I 306; II 67. 531; III 53. 306; IV 259. 586; V 8. 178; VI 102. 490; VII 112; VIII 1. 610; IX 46; X 440. 820; XI 36. 838; XII 1. 324. *Vbi* his locis: I 81; II 347; III 410; IV 80;

---

1) cf. R. Heinze, Vergils epische Technik [2] p. 396 sqq.

V 816; VI 748; VII 323; VIII 22; IX 546; XI 59; XII 441 etc. *cum* his locis: I 697; III 389; IV 385; VI 515; VII 124; VIII 170; XII 438 etc. *simul ac* his locis: IV 90. XII 222.

In quattuor periodis talia enuntiata secundaria paucis verbis praemissis interposita sunt enuntiato primario: I 685; VI 163; VII 765; XI 19.

In eis autem periodis in quibus talia enuntiata temporalia inchoata a particulis *postquam, ut, ubi* in fine posita sunt, aut enuntiato primario antecedit enuntiatum comparativum ut I 148: *ac veluti magno in populo cum saepe coorta est seditio . . . ., sic cunctus pelagi cecidit fragor, aequora postquam prospiciens genitor invectus . . . flectit equos curruque volans dat lora secundo,* aut enuntiatum id, ad quod pertinet enuntiatum temporale, ipsum pendet ut III 210: *Strophades Graio stant nomine dictae insulae Ionio in magno, quas dira Celaeno harpyiaeque colunt aliae, Phineia postquam clausa domus mensasque metu liquere priores.* cf. IV 17; VII 661. 709; X 569.

Si talia enuntiata accuratius explicant id quod antecedit item subsequuntur enuntiatum primarium; I 435: *tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo, ut spolia, ut currus, atque ipsum corpus amici . . . conspexit.* cf. II 560; IV 118; X 788; XII 734.

Iam tractanda sunt enuntiata secundaria inchoata a particula *cum* quae quidem significant idem tempus atque id quod est in enuntiato primario.

Periodi quae a tali enuntiato temporali ordiuntur, paucae sunt numero. Invenimus autem haec exempla: V 804: *cum Troia Achilles exanimata sequens inpingeret agmina muris, . . . Pelidae tunc ego forti congressum Aenean . . . nube cava rapui.* VI 564; VII 148; XI 540.

A quibus exemplis paululum tantum differunt ea in quorum initio aliqua particula aut nonnulla verba enuntiati primarii posita sunt ut II 112: *praecipue cum iam hic trabibus contextus acernis staret equus, toto sonuerunt aethere nimbi.* III 712: *nec vates Helenus, cum multa horrenda moneret, hos mihi praedixit luctus* etc. cf. IV 208. 452; V 597; VII 61. 427; VIII 213; IX 87; XI 42; XII 735. 821.

Numero plura sunt ea exempla in quibus enuntiatum temporale in fine enuntiati primarii vel periodi collocatum est, aut quod enuntiatum primarium continet compellationem ut II 116: *sanguine placastis ventos et virgine caesa, / cum primum Iliacas, Danai, venistis ad oras* (s = v) (cf. IV 409; VI 91. 874), aut quod enuntiatum primarium continet rem quae enuntiato secun-

dario explicatur vel comprobatur ut III 50 ... *infelix Priamus furtim mandarat alendum Threicio regi, cum iam diffideret armis Dardaniae* etc. (cf. III 301. 623. 626; IV 524; VII 494; XII 632), aut quia enuntiatum temporale additum est enuntiato relativo vel comparativo; I 430: *qualis apes aestate nova per florea rura exercet sub sole labor, cum gentis adultos educunt fetus* etc. (cf. I 650; II 223; III 461; IV 471; VII 246. 720. 735; VIII 363. 561; IX 359. 435. 667; X 566; XI 46), aut denique quia in enuntiato primario exstat temporis notitia quae enuntiato temporali accuratius denotatur; sic I 284: *veniet lustris labentibus aetas, cum domus Assaraci Pthiam clarasque Mycenas servitio premet.* cf. III 645; IV 597; V 627; VII 246; VIII 28. 391; X 502; XI 276.

Postremo si enuntiatum temporale oppositum est primario aut huic explicando inservit periodum ad finem perducit. IX 246; XI 304. — IX 512; X 506.

Enuntiata temporalia quae inchoantur a particula *dum* antecedunt enuntiato primario, si indicant alteram rem iam tum valuisse cum altera incideret. Cuius structurae sunt hae periodi: I 494 *haec dum Dardanio Aeneae miranda videntur, dum stupet obtutuque haeret defixus in uno, regina ad templum ... incessit.* II 737; V 202. 605; VI 171; VII 71. 475. 540; VIII 374. 454; IX 1. 416. 536; X 302. 423. 586; XI 670; XII 374. 383. 737. Quibus accedunt ei loci ubi enuntiato secundario unum vel plura verba praeposita sunt: II 454 *infelix qua se, dum regna manebant, saepius Andromache ferre incomitata solebat ad soceros* etc. cf III 616; VII 338. VII 535; IX 367; X 191. 323. 380.

Sin haec enuntiata secundaria totum temporis spatium significant per quod actio extenditur, periodum finire solent. Huc spectant exempla quae sunt: I 268 *Ilus erat, dum res stetit Ilia regno.* III 16; IV 52. 336. 565; V 415. 628; VI 151. 608. 661; VIII 580; IX 446; X 43. 58. 282. 320; XI 315. 381.

Tres modo invenimus locos ubi collocatio enuntiatorum contraria est, ideo quod enuntiatum primarium summam rei continet. I 607: *in freta dum fluvii current, dum montibus umbrae lustrabunt convexa, polus dum sidera pascet, semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.* cf. II 88. VII 354.

Denique cum haec enuntiata temporalia pertinent ad rem antecedentem et tempus accuratius denotant, inserta aut postposita sunt enuntiato primario: IV 651 *dulces exuviae, dum fata deusque sinebat, accipite hanc animam* etc. II 21: *est in conspectu Tenedos ... dives opum, dum regna manebant.* cf. V 724; VI 827; XI 701; XII 738.

Particulis *antequam* et *priusquam* introducuntur enuntiata posterioris temporis quae excipiunt enuntiatum primarium et eapropter huic postponi solent. Exempli causa affero periodum quae est I 192: *nec prius abstitit, quam septem ingentia victor corpora fundat humi* etc. cf. I 472; II 741; III 255. 384; IV 24; VI 140 etc.

Vno autem loco aliam invenimus collocationem, quae quidem cogitationum ordini non repugnat: XI 809 *ac velut ille, priusquam tela inimica sequantur, continuo in montis sese avius abdidit altos . . . haud secus ex oculis se turbidus abstulit Arruns.*

In fine enuntiati primarii sequuntur ea quoque enuntiata temporalia quae inchoantur a particulis *dum* et *donec*, cum significant alteram rem durare usque adeo, dum altera inciderit; I 264: *. . . moresque viris et moenia ponet, tertia dum Latio regnantem viderit aetas* etc. cf. I 5; II 136; IV 336. 434; X 799; XI 739; XII 570; — II 718: *me bello e tanto digressum et caede recenti attrectare nefas, donec me flumine vivo abluero.* cf. I 273; II 100. 630; V 698; VI 745; VIII 326; IX 440; X 268. 300; XI 201. 803. 860; XII 254.

Denique omnia enuntiata quae introducuntur per particulam *cum*, si indicant novam rem subito incidisse, periodum ad finem perducere solent ut I 34: *vix e conspectu Siculae telluris in altum vela dabant laeti . . ., cum Iuno . . . haec secum;* cf. I 233; II 589; III 655; IV 8; V 270; VI 190; VII 105 etc.

Ex his omnibus exemplis elucet Vergilium varia enuntiatorum temporalium genera varia ratione usurpasse, et eis quoque locis ubi a consueto ordine recessit, tamen cogitationum ordinem non laesisse.

Quibus tractatis nos convertamus ad enuntiata causalia quae in Aeneide numero sunt triginta fere, cum in Lucretii libris fere trecenta inveniantur exempla.

Atque naturae ordini convenit ut enuntiatum causale initium faciat periodi, aut ut uno vel pluribus verbis praepositis interponatur enuntiato primario, si huic praeparando vel introducendo inservit. Huc pertinent haec exempla: V 22 *superat quoniam Fortuna, sequamur.* VI 106; VII 547; X 105; XII 808. — II 446 *his se, quando ultima cernunt, extrema iam in morte parant defendere telis.* cf. II 84, IV 291; VIII 172; IX 154; XI 509.

In fine autem enuntiati primarii positum est enuntiatum causale quod illi explicando inservit his locis: VI 187 *si nunc se nobis ille aureus arbore ramus ostendat nemore in tanto, quando omnia vere . . . de te vates, Misene, locuta est.* VII 236. 779; VIII 129. 323. 650; IX 133. 287. 495; XII 647.

4. Sequuntur enuntiata finalia. Atque haec enuntiata antecedunt aut interponuntur enuntiato primario, si huic inducendo inserviunt. Huc pertinet fere tertia pars omnium exemplorum. XI 370: *scilicet ut Turno contingat regia coniunx, nos . . . sternamur campis.* III 377 *pauca tibi e multis, quo tutior hospita lustres . . . . expediam dictis.* cf. II 59; IV 452; VII 21; VIII 42. 205. 209; IX 319; XI 417. 778; XII 395.

Duplici maior est numerus periodorum in quibus enuntiatum primarium consueto more excipitur enuntiato finali. Sic I 72: *quarum quae forma pulcherrima Deiopeia, / conubio iungam stabili propriamque dicabo, / omnis ut tecum . . . annos exigat* etc. cf. I 554; II 187; III 473; IV 106; V 130; VI 74; VII 481 etc.

5. Pervenimus ad enuntiata condicionalia, ex quibus ea modo nobis tractanda sunt quae locum obtinent post enuntiatum primarium.

Atque omnia enuntiata condicionalia quae ad unum verbum pertinent enuntiati primarii, id subsequi solent. Inveniuntur autem in Aeneide haec exempla: II 251 *non tali auxilio . . . tempus eget, non, si ipse meus nunc adforet Hector.* IV 94: *magnum et memorabile nomen, / una dolo divum si femina victa duorum est.* IV 311. 657; V 410; VI 770; VII 225; IX 335; X 625; XI 323; XII 204.

Eandem collocationem enuntiatorum exhibent eae periodi quae a compellatione vel interrogatione vel exclamatione incipiunt ut I 321: *ac prior 'heus' inquit 'iuvenes, monstrate, mearum vidistis siquam hic errantem forte sororum'* etc. cf. II 161; V 798; VI 119. 194. 530; IX 491. 738; XII 778. — II 102: *quidve moror? si omnis uno ordine habetis Achivos idque audire sat est:* cf. IV 311; V 410; X 627; XI 705; XII 41. — XI 828 *heu quantum inter se bellum, si lumina vitae attigerint* etc. cf. VI 828. 882 etc.

Ordini sententiarum porro convenit, ut enuntiatum condicionale irreale quod vocatur, sensu negante in fine periodi positum sit. Huc pertinent hi loci ex Aeneide: V 232 *et fors aequatis cepissent praemia rostris, ni palmas ponto tendens utrasque Cloanthus fudissetque preces divosque in vota vocasset.* V 356; VI 334. 359; VIII 510. 523; X 327; XII 112.

Neque aliter periodi structura se habet, cum enuntiato condicionali tamquam sub exceptione aliquid exprimitur; sic I 390: *namque tibi reduces socios classemque relatam nuntio . . . ., / ni frustra augurium vani docuere parentes.* cf. II 159; V 25. 230. 798; VI 119. 147. 194; XII 733.

Denique nonnullis locis enuntiatum condicionale periodum finit, aut quia pertinet ad orationem obliquam ut II 176: *extemplo*

temptanda fuga canit aequora Calchas, / nec posse Argolicis exscindi Pergama telis, / omnia ni repetant Argis numenque reducant (s=v). (cf. III 686; VIII 535), aut quod additum est enuntiato relativo ut V 345: *adiuvat et magna proclamat voce Diores qui subiit palmae frustraque ad praemia venit ultima, si primi Salio reddantur honores,* aut quia tempus accuratius significat; XII 849: *hae Iovis ad solium saevique in limine regis apparent acuuntque metum mortalibus aegris, si quando letum horrificum morbosque deum rex molitur* etc.

Haec satis habemus exposuisse de periodis condicionalibus in Vergilii Aeneide. Atque ex eis quae attulimus exemplis apparet Vergilium haec enuntiata magis varia ratione adhibuisse quam ceteros poetas, ex quibus in hac re proxime ad eum accedit Lucretius.

6. Iam ordine proponenda sunt enuntiata concessiva et post ea consecutiva quae vocantur.

Atque enuntiata concessiva in eis periodis, quibus sensus affirmativus subest, aut antecedunt enuntiato primario aut ei interposita sunt. Exempli causa affero II 12 . . . *quamquam animus meminisse horret luctuque refugit, incipiam* (cf. II 583; IX 44); II 99: . . . *et magis atque magis, quamquam secreta parentis Anchisae domus arboribusque obtecta recessit, clarescunt sonitus* etc. cf. II 533; IV 393; X 856; XI 2; XII 746.

Sin sensus periodi est negans, enuntiatum concessivum plerumque in fine primarii sequitur ut V 194 *non iam prima peto Mnestheus neque vincere certo, quamquam o* . . . etc. cf. III 453; V 542; VI 394 400. 802; VIII 397.

Reliqua sunt duo exempla in quibus, quamquam sensus affirmativus est, enuntiatum concessivum periodum finire necesse est: V 804 *cum Troia Achilles exanimata sequens inpingeret agmina muris . . . Pelidae tunc ego forti congressum Aenean . . . nube cava rapui, cuperem cum vertere ab imo structa meis manibus periurae moenia Troiae.* XI 348 . . . *dicam equidem, licet arma mihi mortemque minetur.*

7. Restat ut afferantur loci ubi inveniuntur enuntiata consecutiva.

Sunt autem numero quinque tantum; atque omnia exempla ita structa sunt, ut enuntiatum secundarium se adiungat ad primarium ex quo pendet: VI 533; VIII 88; X 846; XI 355. 437. Hic commemoremus nos enuntiata supplentia (*in eo est — ut, accidit — ut, fit — ut),* quae re vera periodum non efficiunt neque apud Vergilium neque apud ceteros poetas in numero enuntiatorum consecutivorum rettulisse, nisi in periodis compositis.

Ex eis quae adhuc exposita sunt de periodis simplicibus in Aeneide, cognosci potest poetam singula enuntiatorum genera exceptis enuntiatis relativis et temporalibus ad unum omnia rarius adhibuisse quam ceteros poetas, quamvis negari non possit eum nonnulla genera, quodquidem pertinet ad eorum constructionem, magis varia ratione usurpasse quam illos.

8. Iam in Vergilii parataxis usum diligenter inquirentes nos non fugit poetam frequentissime coordinationem enuntiatorum usurpavisse ita ut cum nullo superiorum poetarum comparari possit. Et quamquam concedendum est Ennium in hac re proxime accedere ad morem Vergilii, tamen illum negari non potest in compositione et distributione multo inferiorem esse. Namque in Aeneide fere omnibus locis ubi poeta complura enuntiata aut ἀσυνδέτως aut πολυσυνδέτως copulata composuit, certe cognosci potest haec enuntiata sensu inter sese tam arte cohaerere et tam diligenter per versus distributa esse, ut tamquam sint periodi solutae. Exempli gratia liceat adscribere verborum tractum qui est IV 1 — 8: *At regina gravi iamdudum saucia cura vulnus alit venis et caeco carpitur igni. multa viri virtus animo multusque recursat gentis honos, haerent infixi pectore vultus verbaque nec placidam membris dat cura quietem. postera Phoebea lustrabat lampade terras | umentemque Aurora polo dimoverat umbram, | cum sic unanimam adloquitur male sana sororem* (s = v). In his quidem versibus videmus excepta periodo extrema tria exstare membra ἀσυνδέτως composita quarum unumquodque in duas partes dividitur. Neque difficile est cognitu hos octo versus, quamvis in eis complura sint nomina subiecta, unam tamquam efficere periodum, quam in sermone pedestri hypotactice breviter his fere verbis exprimere possis: *At regina, quae iamdudum amore erga Aenean conficitur, quoniam tantae sunt eius virtutes, ut eius imago die nocteque animo miserae obversetur, sororem, ubi primum dies illuxit, adloquitur his verbis:* Neque aliter atque in narratione poeta in oratione derecta quoque tales periodos solutas, ut ita dicam, composuit. Exempli causa affero IV 99 — 104: '*habes, tota quod mente petisti: | ardet amans Dido, traxitque per ossa furorem. | communem hunc ergo populum paribusque regamus auspiciis; liceat Phrygio servire marito | dotalisque tuae Tyrios permittere dextrae.*' (s = v). In hoc verborum ambitu senties primam atque extremam sententiam arte cohaerere atque universam rem tamquam complecti. Cum enim postrema sententia quasi suppleat primam, sententiae interpositae quoque omnes ad idem tendunt propositum. Atque in oratione pedestri illos versus breviter circumscribamus talibus fere verbis: *Quoniam, quod tota mente petisti, effecisti ut Dido amore illius viri ardeat et paene conficiatur, iam tibi placeat nuptiis conciliatis communem populum paribus regere auspiciis.*

Similia exempla cum in quavis fere pagina inveniantur, supersedimus ea singillatim pertractare. Sufficiat hos locos attulisse: II 132 — 136. 212 — 219. 250 — 253. 259 — 267. 491 — 495. IV 156 — 164; V 72 — 79. 577 — 587. 746 — 754. 755 — 766. VI 411 — 416. 417—425; VII 29—36. 249—259. 286—292. VIII 66 — 70. 306 — 312. 345 — 350. 457—464. 470—477 etc.

Oratio obliqua quandoquidem in Aeneide rarissime occurrit, non mirum est, quod in ea loci similis structurae non inveniuntur. Eo crebrius Vergilius narrationem in versibus suis interrupit oratione derecta. Atque quamquam talibus quidem locis plerumque enuntiata brevia inveniuntur ἀσυνδέτως inter se coniuncta, tamen complura exstant exempla ubi poeta periodos minus magisve compositas construxit ut III 10 — 13; II 535 — 539; IX 97 — 102; XII 776 — 779 etc.

9. Iamque aggrediendum est ad eas periodos tractandas quae duo enuntiata secundaria inter se diversa exhibent.

Pauca in Aeneide reperiuntur exempla in quibus utrumque enuntiatum secundarium antecedit primario. Atque haec enuntiata inter se coordinata sunt in his duobus periodis:
tp_1 (p) tp_1, tp_2 : A_1 A_2 X 585 — 588; cd *et* i, css_1 *-que* css_2 : A II 10 — 12: *sed si tantus amor casus cognoscere nostros / et breviter Troiae supremum audire laborem, / quamquam animus meminisse horret luctuque refugit, / incipiam* (s = v).

Tria invenimus exempla in quibus utrumque enuntiatum secundarium subiunctum est primario: $\frac{A}{cd,\ neu\ fin\ neu\ i}$ IX 39 — 42;

$\frac{A}{css_1\ et\ css_2\ \text{-}que\ css_3,\ csct_1\ \text{-}que\ csct_2}$ III 453 — 456; $\frac{p\ A}{rel_1\ fin_1\ \text{-}que\ fin_2}$

III 34 — 36: *multa movens animo nymphas venerabar agrestis / Gradivumque patrem, Geticis qui praesidet arvis, / rite secundarent visus omenque levarent* (s = v).

Accedunt periodi in quibus alterum enuntiatum secundarium antecedit primario, alterum id subsequitur. Huius structurae sunt duodecim exempla ex quibus verbis adscribimus hoc: VII 547 — 548: *quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros, hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas.* csl : $\frac{A}{cd}$; III 441 — 444 tp : $\frac{A}{rel_1\ \text{-}que\ rel_2}$; II 659 - 663 cd_1 *et* cd_2 *-que* cd_3 : A_1 $\frac{\text{-}que\ A_2}{rel}$;

III 670 — 674 tp_1 *nec* tp_2 $\frac{\text{: A}}{\text{rel}_1\ \textit{-que}\ \text{rel}_2}$; VII 406 — 411 tp *-que* i $\frac{\text{: A}}{\text{rel p}}$;

VII 222 — 227 int_1 (p) int_1 int_2 $\frac{\text{: A}}{\textit{et}\ \text{cd}_1\ \textit{et}\ \text{cd}_2}$; V 297 — 301 tp : $\frac{\text{A}_1\ \textit{-que}\ \text{A}_2}{\text{tp}_2\ \textit{et}\ \text{tp}_3}$; XI 434 — 437 cd_1 *-que* cd_2 *-que* cd_3 $\frac{\text{: A}}{\text{csct}}$ etc.

Compluribus locis alterum enuntiatum secundarium antecedit primario, cum alterum includatur partibus primarii ut I 555 — 559 *sin abrupta salus et te, pater optime Teucrum, pontus habet Libyae nec spes iam restat Iuli, at freta Sicaniae saltem sedesque paratas, unde huc advecti, regemque petamus Acesten.* cd_1 *et* cd_2 (v) cd_2 *nec* cd_3 : A (rel) A; ceterae eiusmodi periodi hae sunt: II 634 — 638 tp : A (rel_1 *-que* rel_2) A (p) A *-que* i; III 1 — 8 tp_1 *que* tp_2 *et* tp_3 : A_1 *et* A_2 (int_1 int_2) A_2; III 500 — 505 cd_1 *-que* cd_2 : A_1 (rel) A_1, A_2; IV 452—454 rel : A (tp) [π] A *-que* i; V 258—262 rel_1 : A (rel_2) A app; VII 367—370 cd_1 *-que* cd_2 *-que* cd_3 : A (rel) A *et* i; VII 540 — 544 tp_1 : A_1 (tp_2 *et* tp_3) A_1 *et* p A_2; XII 861 — 866 tp : A_1 (rel (p) rel) A_1 *-que* A_2 *-que* A_3.

Contrario modo enuntiatum secundarium prius interpositum est enuntiato primario, cui enuntiatum posterius subiunctum est in his periodis: VI 162 — 165 *atque ille Misenum in litore sicco, ut venere, vident indigna morte peremptum, Misenum Aeoliden, quo non praestantior alter aere ciere viros Martemque accendere cantu.*

A (tp) $\frac{\text{A app}}{\text{rel}\ \textit{-que}\ \text{i}}$; III 99 — 101 A_1 *que* A_2 *et* A_3 (int_1) $\frac{\text{A}_3}{\text{int}_2\ \textit{-que}\ \text{int}_3}$;

VI 748 – 751 A (tp) $\frac{\text{A}}{\text{fin}_1\ \textit{et}\ \text{fin}_2}$; V 704—707 A (rel_1 *-que* rel_2) $\frac{\text{A}}{\textit{vel}\ \text{int}_1\ \textit{vel}\ \text{int}_2}$;

VI 365 — 371 A_1 [π] A_1 *aut* A_2 (cd_1 cd_2 [π]) $\frac{\text{A}_2\ \textit{et}\ \text{A}_3}{\text{fin}}$; VI 767 — 770 A (app) A (rel) $\frac{\text{A}}{\text{cd}}$; IX 245 — 248 A (rel) $\frac{\text{A}}{\text{csl}}$.

Duae tantum in Aeneide exstant periodi in quibus utrumque enuntiatum secundarium circumcluditur partibus primarii: XI 154 — 156 *nunc adeo, melior quoniam pars acta diei, quod super est, laeti bene gestis corpora rebus procurate, viri, et pugnam sperate parati.* A_1 (csl, rel) A_1 (p) A_1 (v) *et* A_2; VIII 400 — 404 A (cd_1 *atque* cd_2, rel_1 rel_2 rel_3) A.

Sed ab his exemplis non multum differunt quinque alia in quibus alterum enuntiatum secundarium post alterum insertum est enuntiato primario, quod illis in tres partes dirimitur. Exempli causa affero periodum quae est VIII 172 — 174: *interea sacra haec, quando huc venistis amici, annua, quae differre nefas, celebrate faventes nobiscum et iam nunc sociorum adsuescite mensis.* A_1 (csl) A_1 (rel) A_1 *et* A_2; I 305—309 A p̊ (tp) A *et* i (int_1 int_2 [π] int_2) A *-que* i_2; II 460 — 467 A_1 p_1 *-que* p_2 (rel_1) p_3 (rel_2) A_1; A_2; XII 735 — 737 A (tp_1) p (tp_2) A; IX 669—673 A_1 app (rel_1) A_1 (rel_2) A_1 p *-que* A_2.

Denique proponendi sunt quattuor verborum circuitus qui tria enuntiata primi ordinis continent. Haec sunt eorum schemata: VI 826 — 832 A (rel) A (tp) A (cd) A p_1 p_2; X 105 — 110 csl_1 *nec* csl_2, rel_1 rel_2 app : A ; X 323 — 328 A (p tp app) v, p,
$distr_1$ $distr_2$

A (rel) A ; IX 546 — 552 tp i : A_1 (rel_1 *-que* rel_2 *et* rel_3) A_1
cd app_1 app_2

et A_2 (rel_4) A_2.

Hae sunt periodi omnes quae enuntiata secundaria primi tantum ordinis exhibent. Sunt autem numero quadraginta quattuor.

10. Aliquanto maior est numerus eorum exemplorum in quibus etiam secundi ordinis enuntiata insunt. Talia quidem exempla in Aeneide inveniuntur septuaginta unum.

Ac primum pertractandae sunt eae periodi in quibus utrumque enuntiatum secundarium alterum alteri subiunctum antecedit enuntiato primario. Huc pertinent quinque exempla: IV 327 — 330: *saltem si qua mihi de te suscepta fuisset ante fugam suboles, siquis mihi parvulus aula luderet Aeneas, qui te tamen ore referret, non equidem omnino capta ac deserta viderer.* cd_1 cd_2 : A; VI;
rel

205 — 209 correl *et* i : A_1; A_2; VI 451 — 455 tp_1 *-que* tp_2 : A
rel cp-rel

X 33 — 35 cd : A *aut* i; X 44 — 47 cd : A (v) A .
rel rel fin_1 fin_2

Duobus locis enuntiatum primarium amplectitur utrumque enuntiatum secundarium, alterum alteri interpositum: IV 115 — 116 *nunc, qua ratione, quod instat, confieri possit, paucis docebo.* A (int (rel) int) A; VI 608 — 614 A (rel_1 (tp) rel_1 *-ve* rel_2 *aut* rel_3 *nec* rel_4 [π] *-que* rel_5 *-que* rel_6 *nec* rel_7) A.

Vtrumque enuntiatum secundarium, alterum alteri insertum, praepositum est enuntiato primario in his periodis: IX 192 — 194 *si, tibi quae posco, promittunt (nam mihi facti fama sat est), tumulo videor reperire sub illo posse viam ad muros et moenia Pallantea.* cd (rel) cd [π] : A; I 454 — 458 tp_1 p tp_2 (rel) tp_2 : A (p) A; V 397 — 400 cd (rel_1 *-que* rel_2) cd : A_1 *nec* A_2; V 213 — 219 $correl_1$ (rel)$correl_1$ p_1-*que* $correl_2$ $correl_3$ (p_2) $correl_3$ *neque* $correl_4$: A_1, A_2; XI 809 — 815 $correl_1$ (tp) $correl_1$ p_1 app *-que* p_2 $correl_2$: A_1 *-que* A_2.

Quibus periodis accedunt aliae in quibus utrumque enuntiatum secundarium, alterum alteri interpositum, post primarium collocatum est ut IX 169 — 172 *instant Mnestheus acerque Serestus, quos pater Aeneas, si quando adversa vocarent, rectores iuvenum et rerum dedit esse magistros.* $\frac{\text{A}}{\text{rel (cd) rel}}$; VI 337 — 339 $\frac{\text{A}}{\text{rel (tp) rel p}}$; XI 416 — 418 $\frac{\text{A}}{\text{rel}_1\text{ (fin) rel}_1\ \textit{et}\ \text{rel}_2}$; XII 346 — 350 $\frac{\text{A app p}_1\text{ p}_2}{\text{rel (fin) rel}}$; II 453 — 457 $\frac{\text{A}}{\text{rel}_1\text{ (tp) rel}_1\ \textit{et}\ \text{rel}_2}$; II 134 — 136 $\frac{\text{A}_1\ [\pi]\ \text{A}_1\ \textit{et}\ \text{A}_2\ \textit{-que}\ \text{A}_3}{\text{tp (cd) tp}}$; III 106 — 109 $\frac{\text{A app}}{\text{rel}_1\text{ cd rel}_1\ \textit{-que}\ \text{rel}_2}$; VII 59 — 63 $\frac{\text{A app}\ \textit{-que}\ \text{p}}{\text{rel (tp) rel}\ \textit{-que}\ \text{i}}$; VII 98 — 101 $\frac{\text{A}}{\text{rel}_1\ \textit{-que}\ \text{rel}_2\text{ (rel}_3\text{ (p) rel}_3\text{) rel}_2}$; XI 18 — 21 $\frac{\text{A}_1\ \textit{et}\ \text{A}_2}{\text{fin}_1\text{ (tp}\ \textit{-que}\ \text{i) fin}_1\ \textit{-ve}\ \text{fin}_2}$; XI 670 — 673 $\frac{\text{A}}{\text{rel (tp}_1\text{) rel (tp}_2\ \textit{ac}\ \text{tp}_3\text{) rel}}$ etc.

Ab his exemplis nonnihil alienum est aliud quod hanc praebet structuram: VII 37 — 40 $\text{A}_1 \left(\frac{\text{int}_1\text{ int}_2\text{ int}_3}{\text{tp}}\right) \text{A}_1\ \textit{et}\ \text{A}_2$.

Denique pleraeque periodi eiusdem generis ita sunt structae ut post enuntiatum primarium collocatum sit enuntiatum secundarium primi ordinis et post hoc secundi ordinis enuntiatum hoc modo: III 210 — 213 *Strophades Graio stant nomine dictae insulae Ionio in magno, quas dira Celaeno harpyiaeque colunt aliae, Phineia postquam clausa domus mensasque metu liquere priores.* $\frac{\frac{\text{A}}{\text{rel}}}{\text{tp}}$; VII 535 — 537 $\frac{\frac{\text{A}}{\text{tp}}}{\text{rel}}$; IX 510 — 512 $\frac{\frac{\text{A}}{\text{int}}}{\text{tp}}$; VII 706 — 709

$\dfrac{\dfrac{\text{A -}\textit{que}\text{ app}}{\text{rel}}}{\text{tp}}$; VIII 97 — 100 $\dfrac{\dfrac{\text{A}}{\text{tp}}}{\text{rel}_1\ \textit{tum}\ \text{rel}_2}$; VI 268 — 272 $\dfrac{\dfrac{\text{A}}{\text{cp}}}{\text{tp}_1\ \textit{et}\ \text{tp}_2}$; II 176

— 179 $\dfrac{\dfrac{\text{A }\textit{nec}\text{ i}}{\text{cd}_1\ \text{-}\textit{que}\ \text{cd}_2}}{\text{rel}}$; III 300 — 305 $\dfrac{\dfrac{\text{A p}}{\text{tp}_1\ \text{-}\textit{que}\ \text{tp}_2}}{\text{rel (app) rel}}$; VI 300 — 303

$\dfrac{\dfrac{\text{A}_1\ \text{-}\textit{que}\ \text{A}_2}{\text{cp}}}{\text{tp}_1\ \text{-}\textit{que}\ \text{tp}_2}$; V 345 — 347 $\dfrac{\dfrac{\text{A}_1\ \textit{et}\ \text{A}_2}{\text{rel}_1\ \text{-}\textit{que}\ \text{rel}_2}}{\text{cd}}$; IX 578 — 582 $\dfrac{\dfrac{\text{A p}_1\ \text{app}}{\text{rel}_1\ (\text{p}_2)\ \text{rel}_1}}{\text{rel}_2}$

XII 896 — 898 $\dfrac{\dfrac{\text{A app}_1\ \text{app}_2}{\text{rel app}_3}}{\text{fin}}$; I 551 — 554 $\dfrac{\dfrac{\text{A }\textit{et}\text{ i}_1\ \textit{et}\text{ i}_2}{\text{cd (p) cd}}}{\text{fin}}$; XII 940

— 944 $\dfrac{\dfrac{\text{A}}{\text{tp}_1\ \textit{et}\ \text{tp}_2}}{\text{rel}_1\ \textit{atque}\ \text{rel}_2}$; VI 305 — 312 $\dfrac{\dfrac{\text{A (p) A app}_1\ \text{-}\textit{que}\ \text{app}_2\ \text{app}_2\ \text{-}\textit{que}\ \text{app}_4}{\text{cp}_1\ \textit{aut}\ \text{cp}_2}}{\text{tp}_1\ \textit{et}\ \text{tp}_2}$;

XI 346 — 351 $\dfrac{\dfrac{\text{A}_1\ \text{-}\textit{que}\ \text{A}_2}{\text{rel}\ \left[\dfrac{\text{B}}{\text{css}}\right]\ \text{rel -}\textit{que}\text{ i}}}{\text{tp}_1\ \text{p}\ \textit{et}\ \text{tp}_2}$ etc.

Hae quidem periodi duo tantum enuntiata secundaria utriusque ordinis exhibent. Quibus addenda sunt nonnulla exempla in quibus tria enuntiata secundaria varii generis insunt. En habes eorum schemata: X 361 — 367 tp (rel$_1$) tp (p) $\dfrac{\text{tp}_1}{\text{css}}$ rel$_2$: A; VIII 407 — 415 tp$_1$ tp$_2$ (rel) $\dfrac{\text{tp}_2\ \text{-}\textit{que}\ \text{tp}_3}{\text{fin}_1\ \textit{et}\ \text{fin}_2}$: A; XII 81 — 84 $\dfrac{\dfrac{\text{tp}_1\ \text{-}\textit{que}\ \text{tp}_2 : \text{A}_1\ \text{-}\textit{que}\ \text{A}_2}{\text{rel}}}{\text{fin}}$; VIII 578—583 cd (v) cd $\dfrac{\dfrac{\text{: A}}{\text{tp}_1\ \text{tp}_2\ \text{tp}_3\ (\text{v app})\ \text{tp}_3}}{\text{fin}}$;

XII 270—276 A p $\left(\dfrac{\text{tp}}{\text{rel}_1}\right)$ p (rel$_2$ *et* rel$_3$) app A$_1$ -*que* A$_2$; XII 202

— 211 $\dfrac{\text{A}_1}{\text{rel}}$ *nec* $\dfrac{\dfrac{\text{A}_2}{\text{cd}_1\ \text{p}_1\ \text{-}\textit{que}\ \text{cd}_2,\ \text{cp}\ [\pi]\ \text{cp}}}{\text{tp}_1\ \text{p}_2\ \text{tp}_1\ \text{-}\textit{que}\ \text{tp}_2}$; IX 97 — 102

A$_1$ $\left(\dfrac{\text{tp}}{\text{rel}_1\ \text{-}\textit{que}\ \text{rel}}\right)$ $\dfrac{\text{A}_1\ \text{-}\textit{que}\ \text{A}_2}{\text{cp}}$; II 535 — 539 A$_1$ $\left(\dfrac{\text{cd}}{\text{rel}_1}\right)$ $\dfrac{\text{A}_1\ \textit{et}\ \text{A}_2}{\text{rel}_2\ \textit{et}\ \text{rel}_3}$.

Hanc quidem periodum extremam liceat verbis adscribere: '*at tibi pro scelere*', *exclamat*, '*pro talibus ausis di, siqua est caelo pietas, quae talia curet, persolvant grates dignas et praemia reddant debita, qui nati coram me cernere letum fecisti et patrios foedasti funere voltus.*'

11. Periodi quae enuntiata secundaria tertii ordinis exhibent in Aeneide quinque tantum sunt numero. Ex quibus verbis adscribimus circuitum qui est IV 15 — 19: *si mihi non animo fixum immotumque sederet, / necui me vinclo vellem sociare iugali, / postquam primus amor deceptam morte fefellit, / si non pertaesum thalami taedaeque fuisset, / huic uni forsan potui succumbere culpae* (s = v). $\dfrac{\dfrac{cd_1}{fin}}{tp}, cd_2 : A$; ceterae autem periodi has praebent formas: II 81 — 87 $\dfrac{cd}{rel_1\ (csl)\ rel_1\ rel_2} : A$; II 596 — 600 $\dfrac{\dfrac{A}{int_1\ int_2}}{rel_1\ \textit{et}\ (cd)\ rel_2\ \textit{et}\ rel_3}$;

VIII 560 — 567 $\dfrac{\dfrac{\dfrac{A}{cp}}{tp_1\ \textit{-que}\ tp_2\ tp_3}}{rel\ [\pi_1]\ rel\ [\pi_2\ \pi_3]}$; XI 655 — 663 $\dfrac{\dfrac{\dfrac{A\ app_1\ \textit{et}\ app_2\ app_3}{rel}}{cp\ tp_1\ \textit{et}\ tp_2}}{distr_1\ distr_2\ tp_3\ \textit{-que}\ tp_4}$.

Hae sunt omnes periodi compositae quae in Aeneide reperiuntur. Atque in hoc numero videlicet quinque tantum exstare exempla in quibus enuntiata tertii ordinis insunt. Qui est parvus numerus, si consideramus magnum numerum versuum Aeneidis ac si respicimus copiam enuntiatorum eiusdem ordinis apud superiores poetas inprimis apud Lucretium. Inferioris autem quam tertii ordinis in Vergilii Aeneide nullae exstant periodi.

Ex quibus omnibus apparet Vergilium simpliciori dicendi generi operam navasse quam eos quos supra tractavimus poetas. Neque enim tam longas neque tam complicatas struxit periodos quam illi, neque eas tot additamentis auxit quot illi eas auxerunt.

VIII.

Liceat pauca addere de ratione a poetis in adhibendis particulis inita.

Nihil de hac re apud Ennium et Lucilium dicendum est. Neque apud Catullum et Gallum quidquam invenimus quod notatu sit dignum praeterquam quod in toto Catulli libello nusquam in-

venitur particula *quando* et semel tantum particula *quia*. Raro etiam poeta usus est particulis *quoniam* et *quandoquidem* quarum utraque quater adhibita est. Sed in Lucretii libris perlegendis neminem fugit varias particulas, inprimis copulativas creberrime usurpatas esse. Qua in re Lucretius inter ceteros omnes poetas valde eminet. Primum item locum obtinet in adhibendis varia ratione particulis causalibus, ex quibus notandae sunt coniunctiones *quatenus* et *quippe ubi*, quae apud nullum alium poetam hac ratione adhibitae sunt. Et Vergilius ne *cum* quidem particula umquam in enuntiatis causalibus usus est. Deinde Lucretius singulari ratione usurpavit particulas *quando* et *quoniam*, a quibus compluribus locis inchoantur enuntiata temporalia. Denique commemorandum est Lucretium varia ratione adhibuisse coniunctionem *quippe*. Invenitur saepissime *quippe* = nam (enim), interdum *quippe etenim; quippe qui* in enuntiationibus causalibus et relativis, *quippe ubi* in enuntiatis causalibus et condicionalibus. Ceteri autem poetae hac coniunctione rarissime usi sunt.

Iam ut appareat quatenus poetae singula enuntiatorum genera in periodis componendis usurpaverint, hanc proponimus tabellam:

Vsurpaverunt in centenis versibus

		enunt. relat.	enunt. temp.	enunt. caus.	enunt. final.	enunt condic.	enunt. con-cess.	enunt. consec.	summatim:
Ennius		9,0	4,8	—	0,7	2,0	0,5	—	17,0
Lucilius		10,0	3,2	2,1	3,3	5,2	0,5	0,6	24,9
Lucretius		14,0	4,9	3,9	1,5	3,7	1,1	2,6	31,7
Catullus c. LXIV		10,2	6,6	0,7	2,0	0,5	0,5	0,5	21,0
Gallus		10,1	5,5	1,8	2,0	3,2	0,8	0,4	23,8
Vergilius	Georg.	6,8	6,5	0,4	1,3	2,8	0,3	0,04	18,14
	Aen.	7,6	4,0	0,28	0,6	2,3	0,2	0,05	15,03

IX.

Postremo nobis haud abs re videtur esse pauca subnectere de poetarum in vocabulis collocandis arte, quamvis alii viri docti [1]) de hac re fusius iam disseruerint.

Fere omnes poetae ex Catulli fere aetate in vocabulis collocandis certam inierunt rationem. Atque si bina substantiva et attributa in uno versu insunt, duodecim formae inter se diversae effici possunt, prout haec substantiva et attributa collocata sunt. Si prius substantivum significamus littera **A**, attributum prius littera **a**, alterum substantivum littera **B**, attributum alterum littera **b**, inprimis notandae sunt hae duae figurae: a b A B et a b B A, quippe quae maxima arte sint compositae.

Atque Ennius et Lucilius his formis nondum usi sunt. Lucretius raro eas adhibuit, neque enim in duobus milibus quadringentis versibus plus quam septendecim exempla reperiuntur ita ut in centesimum quadragesimum quemque versum unum cadat exemplum.

Multo maior est numerus harum formarum in Catulli epyllio in quo duodesexaginta occurrunt exempla ita ut haec collocatio artificiosa in septimo quoque versu inveniatur.

Iam largius eam adhibuit Gallus in Ciri, in qua centum duodecim exstant versus eo modo perpoliti ita quidem ut quintus quisque versus illam collocationem exhibeat.

Sed Vergilius exempla illorum poetarum multo rarius secutus est. In Georgicis enim illae formae in sexto decimo quoque versu inveniuntur, in Aeneide vero in duodesexagesimo quoque versu.

1) R. Fisch, De Catulli in vocabulis collocandis arte, Berol. 1875. E. Norden, Comm. in Aen. lib. VI. p. 384 sq.

Quae appendicis loco conscripseram, ut periodorum structuram quae est apud Ciceronem cum dactylicorum structura compararem, spatii angustiis omittere cogor.

Vita.

Natus sum Paul Slossarczyk die XVIII mensis Februarii anni 1881 in Silesia superioris vico, cui nomen est Cwiklitz, patre Paulo, matre Anna e gente Malcherek. Fidei addictus sum catholicae. Litterarum elementis a patre imbutus gymnasium Plessense frequentavi, quod vere anni 1902 testimonio maturitatis instructus reliqui, ut in universitate Vratislaviensi studiis philologicis operam navarem.

Docuerunt me viri doctissimi:

Baumgartner, Cichorius, Foerster, Hoffmann, Jacoby, Kampers, Kaufmann, Koch, Muther, Norden, J. Partsch, Skutsch, Wendland, Zacher †, Ziekursch.

Seminariorum philologici et historici sodalis fui moderantibus Foerstero, Nordeno, Skutschio, Wendlandio, Cichorio, Kaufmanno, Kampersio.

Quibus omnibus iustas ac debitas et nunc ago gratias et semper habebo, in primis vero Skutschio, qui in hoc opusculo componendo benigne me adiuvit.